

V
B
J
C

JOACHIMI de HIRTENBERG PASTORII

ALEA MUNDI,

SEU

THEATRUM

VICISSITUDINES & METAMORPHOSES NATURALES, DOMESTICAS, CIVILES, AULICAS, ECCLESIASTICAS, & LITERARIAS,

Novo compendio exhibens.

Accesſêre

MEDITATIONES PASSIONUM CHRISTI,

OLIM EDITÆ, NUNC RECOGNITÆ.

GEDANI,
Typis DAVID - FRIDERICI RHETII,
Anno cIↄ Iↄc LXXX.

AD LECTOREM.

NE mirêre, *Aleæ Mundi*, adjunctas hic esse *Meditationes* passionum Christi. Non sine ratione id factum puta. Neque enim quenquam Christianum, post *Vices rerum*, aut experientiâ, aut lectione intimius cognitas, usquam melius, quàm in vulneribus Christi conquiescere posse censeo. Vale, & his piè ac feliciter utere.

* * *   * * *   * * *

DANTISCUM

per Anagramma

ID SANCTUM.

DIffugiant lites, vesana facessat Enyo,
Pax regnet GEDANI, pristinus intret amor.
Castalis, ID SANCTUM *dixit, neq; nomen inane est,*
Cum viget hîc legum, cum Pietatis honor.
Sancta *habitant Superi. Famæ tuba buccinet, opto,*
Urbs habitatorem possidet ista DEum.

J. P.

* * *   * * *   * * *

ALEA MUNDI
Seu
DE VICISSITUDINE RERUM.

[*Opus Anno 1658. ſcriptum.*]

CAPUT I.

Proœmium de inconſtantiâ vitæ humanæ in genere.

DUæ ſunt res, quas inter ſe contrarias, pari tamen ſolicitudine cogitare homo identidem debet, Vanitas, & quæ ei oppoſita eſt, Æternitas. Hanc in divinitate bonisq; cæleſtibus quærere, illam in omni ceterâ naturâ, ſorteq; inprimis humanâ, expendere oportet: quò ſic tantò proniùs iſtam deſpicere, ſuſpicere alteram ac deſiderare diſcamus. Sed æternitatis bona ſacræ inprimis literæ, earumque Interpretes nobis identidem ediſſerunt. Neq; enim profana ſapientia ſuo remigio asſequi illa potuit, dùm revelatione Divinâ, quâ ſolâ cognoſcuntur, deſtitueretur. Fragilitatem verò ac vicisſitudinem rerum, quia ferè in oculo sincurrit, facilè utiq; inſipientes juxta ac prudentes omnes, omni ævo animadvertere potuêre, & usque poſſunt. Eandem tamèn nihilominus

minus altâ ſubindè ſecuritate vel oblivione pleríque transmittunt. Atque indè evenit, ut rebus caducis intentiùs, quàm oportet, ſtudeant homines; & præterea fortunæ vel blandiùs arridenti fidant nimiùm, vel repugnanti ſeſe abjectè ſubmittant. Nam ſi inconſtantiam rerum rectiùs expenderent, minùs utique curæ ac ſpei in illis ponerent, & utramque ſortem, ut mutabilem, æquabiliùs ferrent. Sanè inter imbecillitates noſtras hæc non minima eſt, quòd eam ipſam imbecillitatem haud ſatis attentè conſideramus. Et cum cotidiana ejus exempla undiquaque ſe ingerant, eo ipſo minùs nos afficiunt, quòd conſvetudo nobis familiaria illa reddidit. Ita ut niſi cominùs, & aliquo inſignitèr gravi ictu percusſi, non excitemur. Meritò itaque hujus imbecillitatis noſtræ conſcii ac memores, quâcunque licet ratione eidem ſuccurrimus, & non voce tantùm, ſed & ſtylo, tùm nobis ipſis, tùm cæteris mortalibus communem rerum omnium volubilitatem ob oculos ponimus. Neque ignarus ſanè ſum, jam ante, & ab omni penè ævo, viros ingenio & doctrinâ præſtantes argumentum hoc partim ſingularibus libris excoluiſſe, partim plurima ad id facientia ſcriptis paſſim ſuis adſperſisſe. Certè ut plerique, qui unquam ſcripsêre, maximo conſenſu vitæ hujus fragilitatem ingeminant: ita eandem alii aliis coloribus ac quaſi imaginibus depingere certant. Nobis aliquas ex auctoribus delibare fas ſit.

Princeps

Princeps ingeniorum Homerus conferebat genus humanum foliis arborum

Οἵηπερ φύλλων γενεὴ τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.

Quæ foliis ſors eſt, eadem mortalibus inſtat.

Somnium umbræ hominem vocabat Pindarus, ſimulachrum Sophocles, Plato vitam παρεπιδημίαν pe-
„ regrinationem, & humana omnia teſſerarum lu-
„ do ſimilia eſſe dicebat. Κύκλον τὰ ἀνθρώπινα Ariſtote-
„ les: & ante eum Cræſus Cyrum alloquens apud
„ Herodotum: ἐκεῖνο, inquit, πρῶτον μάθε ὡς κύκλος τῶν
„ ἀνθρωπηΐων ἐστὶ πρηγμάτων περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐ-
„ τοὺς εὐτυχέειν. *Inprimis illud diſcito, humanarum rerum*
„ *circulum eſſe, qui rotatus eosdem non ſinit ſemper eſſe*
„ *fortunatos.* Pari imagine ab Ægyptiorum ſapientibus Rotæ comparata vita eſt, quos & ideo rotam in templis ſuis collocâſſe, ait Clemens Alexandrinus, ut inconſtantiæ rerum humanarum ſymbolum eſſet. Alii, inter quos Seneca, cum fabulâ vitam hnmanam contendunt, & ſcenas in eâ Comicas Tragicasque obſervant. Iſte tantus hominum conſenſus, & in fragilitate depingendâ velut certamen, accedente ſimùl experientiâ cottidianâ, de rei quidem veritate certiores nos reddit: noſtram tamèn ad talia meditanda inclinationem non morari aut ſiſtere debet: cum tanti momenti, tamque neceſſaria hæc materies ſit, ut nunquam ſatis diſci vel dici posſit. Et mihi nunc in eâ tanto & gratior, & fructuoſior, & apud alios denique excuſatior occupatio erit, quod præſens rerum fa-

cies tam multa mutationum ſpecimina nobis offert, eoque magis admirabilia, quia non ex privati Laris anguſtiis, aut unius Urbis finibus, ſed ex illuſtribus Ducum Regumque palatiis, magnorumque Regnorum ac Rerum publicarum incendiis ac ruinis effulgent.

CAPUT II.

Mutationes Cæli, ſiderum, aëris, maris, terræ, Urbium, Romæ.

SEd primùm per rerum omnium tùm genera, tùm vices, paulum deflectere animum libet, ut pateat, quàm, præter Deum & cæleſtes Spiritûs, nihil penè ab iſtâ fragilitatis ſorte immune ſit. Sapientisſimum utique Regem Hebræorum ſic imitabimur, qui in Eccleſiaſte ſuo, rerum vicisſitudinem oſtenſurus, paritèr â Sole ad ea, quæ ſub Sole fiunt, progreditur, illud ſubindè in omnibus ingeminans; *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Ac primò omnium cælum ſeſe nobis offert, quod res omnes alias ambit continetque. Hoc quieſcere Philolaus & Pythagoras, aliique pauci olim docuêre: quos tamen hodiè celeberrimi quique Aſtronomorum Anteſignani ſequuntur. Cæterùm id in perpetuo motu eſſe, & velocisſimo curſu circumagi vulgata „ antiquis ſeculis & communi conſenſu celebrata „ opinio fuit. *Pars cæli*, ait Seneca, *levatur aſſiduè, pars* „ *mergitur.* Cum cælo verò ſtellas etiam volvi, & ſuis

præte-

„ præterea Sphæris ſingula circum ferri creditum
„ eſt. *Adſpice,* inquit Seneca, *ſidera mundum illuſtrantia.*
„ *Nullum eorũ perſtat; labitur aſſiduè & locum ex loco mu-*
„ *tat: quamvis cum univerſo vertatur in contrarium, nihil-*
„ *ominùs ipſi mundo (hoc eſt Cælo) refertur. Per omnes ſi-*
„ *gnorum partes diſcurrit. Perpetua ejus &c.* Præcipuè autem ipſe ſiderum quaſi Imperator, Sol, vices ſuas ac circuitus habet. Primum enim ſingulis diebus abit & redit, oritur occiditque,

Dùm per utrumq; volat redeunte volumine cælum
Igneus, & totam lumine veſtit humum.

Deindè idem per duodecim cæli ſigna tranſiens, annua nobis ſpatia admetitur: ipſe curſu ſuo conſummato eo revertitur, undè exiverat. Quam præthereà vultum ejus diverſa aëris temperies variat? & ut

— *Mæſtum Sol hodiè caput*
Cras lætum roſeo promit ab æquore!

Luna verò, magnorum mundi luminarium alterum, quoties faciem mutat? Nonnè enim intra menſis unius ſpatium nunc tacitis augmentis creſcit, donec orbem ſuum impleat, plenoque vultù ſpectandam ſeſe præbeat: mox decreſcit iterùm, tandemque evaneſcit, ſed poſt breve intervallum denuò fulſura. Certè ob perpetuas has alternationes Lunam in Symbolum inconſtantiæ jam olim Romæ acceptam, ejusque adeò ſignum in calceis geſtatum teſtatur in quæſtionibus Romanis Plutarchus, & Cælius Rhodig. l. XX. cap. 28. Sed utrumq;

ſidus alii porrò vicisſitudini obnoxium eſt. Quandò nimirùm duos iſtos mundi oculos eclipſis infuſcat, orbemque hunc inferiorem aut magnam ejus partem, tenebris circumfundit. Ac Lunæ quidem deliquia ut crebriora, ita minùs horrenda. At Solis defectus majore ut plurimum ſtupore afficit animos: præſertim cum univerſum optimi maximi ſideris lumen orbi ſubducitur. Quale ſpectaculum paucis abhinc annis; non multum utique abſimile illi, quod Poëta vetus deſcribit, vidimus.

Ipſe caput medio Titan cum ferret Olympo,
Condidit ardentes atrâ caligine currûs.
Involuitq; orbem tenebris, gentesq; coegit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole, Thyeſteæ noctem duxêre Mycenæ.

Sanè totum tùm penè ſidus ſolare obſcuratum, medio die noctem nobis fecit, & niſi nubes interceſsiſſent, ſtellas in cælo reddidiſſet conſpicuas. Jam anni vices, quæ â Solis & ſiderum poſitu dependent, cur enumerem? nimis utique manifeſtas, & cujusque crasſisſimi etiam hominis ſenſui ſubjectas. Cum nimirum hyemem veris amænitas, hanc æſtas, iſtam autumnus, autumnum iterùm hyems excipit. De quibus Seneca Epiſt. 36.

„ *Obſerva Orbem rerum in ſe remeantium, videbis in hoc*
„ *mundo nihil extingvi, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere.*
„ *æſtas abit, ſed alter annus illam reducit, hyems cecidit,*
„ *referent eam ſui menſes. Solem nox obruit, ſed ipſam*
„ *ſtatim dies abiget. Stellarum iſte decurſus, quicquid præ-*

terierit,

„ *terierit, repetit, pars cœli levatur assiduè, pars mergitur.*
„ *Et epist.* 108. *Natura hoc quod vides regnum mutatio-*
„ *nibus temperat, nubilo serena succedunt, turbantur ma-*
„ *ria, cum quieverunt, flant invicem venti, noctem dies sequi-*
„ *tur, pars cœli consurgit, pars mergitur, contrariis rerum*
„ *æternitas constat.*

Medium verò illud spatium, quod cœlum â terrâ interjectu suo distinguit, quàm diversam subindè faciem habet, quot vices experitur? Cùm nunc amænâ atq; innubi ridet serenitate, nunc atro nubium amictu obtegitur, nunc nimbis procellisq; tumultuatur, nunc svavem terris pluviam destillat, nunc nives grandinesq; præcipitat. Porrò nec terra, nec mare expers est vicissitudinum. Ac maris quidem instabilitas jamdudùm in proverbium abiit: quin & cum res alias variis mutationibus obnoxias esse ostendere cupimus, mari subindè eas comparamus. Certè & per se Oceanus assiduò movetur, & alterno fluxu reciprocus, modò littora deserit, modo immani eadem reverberat impetu. Ventorum præthereà ludibriis ita expositus est, ut ex eorum varietate ac quasi libidine, celerrimas identidem experiatur vices,

Quod vexant hodie Noti,
Cras lambent hilares æquor Etesiæ.

Hincque etiam fit,

Ut modo tranquillis placidum quod luserat undis,
Mox furat insanos jactans ad sidera fluctûs.

Nihil nunc de Eurîpo nobili maris parte dicam,

 cujus

cujus rapidæ conversiones jam olim curiosissima quæque ingenia non in stuporem tantùm, sed & desperationem mortemque adegêre. Terra porrò pro temporum & incolarum diversitate modò excolitur, modo desolatur. Nonnunquam conceptis intra viscera ventis tremit, hiat, desidit. Sæpè aquarum eluvionibus obruitur, est etiam ubi emergit, & quæ antea fluctuum area erat, segetibus substernitur. Ovidius de hac terræ & aquarum vicissitudine l. 15. Metamorph. ita canit:

Vidi ego quod quondam fuerat solidissima tellus,
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras.
Et procul â pelago conchæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa est in montibus anchora summis.
Hic fontes natura novos emisit, & illos
Clausit, & antiquis tam multa tremoribus orbis
Flumina prosiliunt, aut exsiccata residunt,

In *terrâ* porrò quæ vicessunt rerum earum, quæ ex eadem terrâ originem habent, eidemque superstruuntur? Arbores modò gemmeâ foliorum comâ virentes, modò svavi fructuum onere gravidas, mox deindè sinè foliis & fructibus squalentes videmus. Flores modò pretiosissimam pulchritudine provocant purpuram, paulò post in terram defluunt flaccidi, & evanescunt:

Jam rosa purpureo crescit rubicunda colore,
Mox rosa purpureo cassa colore jacet.

Jam, quas necessitas humana vel luxuria molitur, structuræ, quibus pariter mutationibus subjacent?

Magnis

Magnis ſumptibus & hortos ſuos in aêre ſuſpenderat Semiramis, & latisſimos Babyloni circumdederat muros : at eorum jamdudùm ne rudera quidem ſuperſunt. Ducentis viginti annis in templo Dianæ ſtruendo tota ſociaverat operas Aſia : poſteà incendio ejus ludum ſibi & famam paravit Heroſtratus. Roma plurimas olim in honorem Deorum altisſimè evexerat ædes : ita ut non temerè exclamaret Rutilius.

Exaudi genitrix hominum, genitrixq́ Deorum.
Non procul â cælo per tua templa ſumus.

At hodiè ea omnia templa unà cum Diis ſuis videmus concidiſſe Jam ipſa Urbs quibus Cæſarum ac Senatorum Palatiis, quibus Amphitheatris, quibus aliis ædificiorum molibus olim ſuperbiit, quarum hodiè vix parietinæ, vix etiam nomina ſuperſunt. Ut jure Lipſius diligentisſimus antiquitatum Romanarum ſcrutator, alicubi eam alloquatur:
» *Ego Te, Roma illa vetus & ſpetioſa ſupra omnes*
» *usquam & unquam urbes, non ſolùm non video, ſed etiam*
» *quæ fueris, quæro. Quæ fueris? Imò, & ubi fueris?*
» *Et qui ſcio, an non & aliquandò utrum fueris, quæretur;*
» *Non magis hoc mirum, ſi ſecula plura current, quàm*
» *nunc de Thebis Ægyptiis, aut Trojâ dubitari. Nam*
» *habet hoc ætas, ut formam primò tollat, tùm rem, tùm*
» *famam & nomen. O ſpes & res humanæ, quid eſtis? quò*
» *itis? hùc flectite. En poſteris eſt ſuperba illa Roma,*
» *quæ Urbs æterna audiebat, quæ victura cum ſæculis, quæ*
» *Deorum opus & cura, tota periit, condita in ruinis ſuis*

 jacet.

„ *jacet, & laboramus eruere, & adstruere magnitudini* „ *ejus fidem.* Hactenùs Lipsius. Alludit autem is verbis postremis, ut quisque doctorum facilè animadvertit, ad locum Flori de Veiorum Urbe: „ *Laborat Annalium fides, ut Veios fuisse credamus.* Lubet adhuc de Urbium fatis Ovidium audire:

— *Magna fuit censuq; virisq;*
Perq; decem potuit tantum dare sangvinis annos
Nunc humilis veteres tantummodò Troja *ruinas*
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguère Mycenæ:
Necnon & Cecropis, necnon Amphionis arces.
Vile solum Sparte est, altæ cecidère Mycenæ,
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?

Plenissimus non hominum, sed Urbium cadaveribus campus hîc se mihi aperit, si excurrere luberet.

CAPUT III.

Mutationes in Homine. Morbi. Innovationes Corporum. Ætatum variationes. Diversa mortium genera.

SEd jam ad eam, cui humanum genus peculiariter obnoxium est, vicissitudinem accedo. Quæ ut rectius percipiatur, primùm illa, quæ quibusvis & singulis hominibus propria est, considerari debet, postea etiam quæ ad totas hominum socie-

tates

tates pertinet. Communem omnibus & singulis hominibus naturam cum inspicimus, illico vicissitudinis non unum genus subit oculos. Inprimis autem offert se nobis imbecillitas, quæ in ipsâ corporis nostri compage, variis sanè mutationibus obnoxiâ, consistit. Corpus accepit homo ex *humo*, undè & nomen habet. Sed nempè ex humo ita conflatum corpus est, ut alia simul omnia elementa ad compositionem ejus concurrant. Quæ cum contraria inter se sint, hîc coälescunt quidem, sed discorde quadam concordiâ: adeò ut subindè inter se rixentur, ac corpus tandem ipsum, in quo decertant, labefactent pessundentque. Indè ingens illa morborum, quibus corpus humanum identidem affligitur, colluvies originem habet. Difficile est numero comprehendere omnem Symptomatum exercitum, qui unum hoc misellum animæ tuguriolum inquietat. Et multa adhuc quodammodò incognita sunt, certè nondum nomen inter Medicos reperêre. Plusquam quinquaginta affectuum species sunt, quibus ipsa arx Palladis caput & cerebrum humanum impetitur. Nec connumero tamen oculorum, aurium, oris, & his affinium partium infirmitates, quæ si computentur omnes, paritèr etiam non longè infra quinquagenarium substiterint. Ita hoc quantillumcunque est corporis, quod â vertice ad cervicem porrigitur, plusquam centum hostibus patet. Febrium quoque, quæ ipsum vitæ focum, Cor scilicet, oppugnare & convellere

vellere ſolent, notæ plurimæ ſunt, ita ut tricenarium ferè egrediantur. At multæ tamèn adhuc nomine carent: & plura ſubindè earum genera procedens mundi ſenecta nobis agglomerat. Sed extra morbum etiam perpetuò mutatur corpus. Cum optimè habet, defluit, & per occultos cutis meatûs exſpirat. Innovamur neſcii, & ſubindè aliâ atq; aliâ pelle induimur non ſentientes. Certè ſi rem rectè conſideremus, vivimus morimurq; quotidiè, creſcimus decreſcimusq;, alii identidem ſumus, & tamen iidem; rogum, quo in aërem tacitis nativi ignis effumationibus exhalamur, ipſi circumgeſtamus, dicam audacius, funeri quodammodò noſtro & nobis ipſis ſumus ſuperſtites. Porró datum homini nudum corpus eſt, adeoq; Solis æſtum, hyemis frigora, ventorum flatûs aſperiuſculos facilè ſentit, facillimeq; lædi poteſt. Datum inerme, adeoq; caſibus & injuriis opportunum, opisq; alienæ ſummè indigum eſt. Datum molle, adeoq; ærumnis & laborum aſſiduitate ſubindè atteritur. Cibi ipſi, ſine quibus vivere non poteſt in noxiam pituitam vel bilem, in materiam deniq; mortis vertuntur. Sunt aliqua corpora, quibus Natura ingens robur, ſunt alia, quibus formæ pulchritudinem indulſit. Quid tamen utrumq; hoc naturæ munus habet firmitatis? Robuſtisſimum quemq; Milonem levis ſæpè caſus proſternit occiditq;: & Helenarum formoſitas exiguæ plerumq; febriculæ ſpolium eſt. Sed porrò quam lentos ætatum pro-

ceſſûs

cessûs habet corpus? Quot anni deteruntur, antequam id ad maturitatem pertingat? Quanta vitæ pars vagiendo, reptando, balbutiendo, crepitaculis variisq; nugamentis & ineptiis consumitur? Ubi verò ad perfectionem suam corpus pervenisse videtur, quamdiu in eâ consistit? nonnè illicò, & citatioribus quidem, quàm creverat, gradibus ruit in declive, &, si alia omnia absint, quæ extrinsecùs obvenire & obesse nobis solent, nonnè ipso tamen senio quasi tabe quadam defluit marcescitq; sensim, donec penitùs deniq; exanimetur, & in cineres residat? Sed quotumcunq; corpus tam firmum est, ut senili demum marcore ad mortem deducatur? quot aliæ viæ sunt, quibus ad metam suam non eunt, sed præcipitantur mortales? Quot sunt, quos mæror animi, quos labor assiduus prælmaturè conficit? quam multos voluptates ipsæ strangulant? Nonne enim plurimi subinde in cibis vorant, in potu bibunt, in Venere gignunt sibi mortem? quot porrò non dicam turmas, sed chiliadas hominum bella absumunt? Ubi hunc gladius, illum lancea, alios globus trucidat, alii equorum calcibus proteruntur. Quantus verò illorum numerus est, quos debita sceleribus supplicia auferunt, quorum fauces nodus elidit, aut spiramenta præcludit aqua? Quot sunt, quos venena, quos lapsus ex alto, quos ruina ædium, quos incendia enecant? Et quis omnia mortis genera enumeret? Ecquid enim tam exile est, quod in mortem

hominis non ſufficiat? Anacreontem acines uvæ, Fabium Senatorem Romanum pilus in lacte hauſtus, Adrianum IV.P.muſca in fauces cum aquâ illapſa, Arnolphum Bavariæ Principem ſpina piſcis ſuffocavit. Romæ olim ſtiria glacialis puero vitam, Poëtæ verò ſequens carmen extorſit:

Quà vicina pluit Vipſanis porta columnis
Et madet aſſiduo lubricus imbre lapis.
In jugulum pueri qui roſcida templa ſubibat,
Decidit hyberno prægravis unda gelu,
Cumque peregiſſet miſeri crudelia fata,
Tabuit in calido vulnere mucro tener.
Quid non ſæva ſibi voluit fortuna licere?
Aut ubi mors non eſt, ſi jugulatis aquæ?

CAPUT IV.

Animorum mutationes, diverſæ ex variis cauſis, etiam in amicitiis.

A Corpore porrò ad animum tranſeamus. Qui per ſe equidem terrenæ fecis, adeoque corruptionis expers, nihilominus tamen in ſtatu eodem & quiete aſſiduâ minimè manet. Quinimò quò generoſior eſt, eò agilior, eò varias laborum vices & appetit & ſubit facilius. *Gaudent*, inquit Panegyriſtes, *divina perpetuo motu, & jugi agitatione vegetat ſe æternitas, & quicquid laborem vocamus, noſtra natura eſt Ut inde feſſa vertigo cœlum rotat, ut maria æſtibus inquieta ſunt, ut ſtare ſol neſcit: Ita tu, Impe-*

vator, continuatis negotiis & in se quodam orbe sempèr redeuntibus semper exercitus es. Et Seneca : *Mobilis,* inquit, *& inquieta mens homini data est : nunquam se tenet, spargitur & cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit.* Etsi porrò cœlestis omninò originis & naturæ animus sit : multùm tamen in eundem servus & instrumentum ipsius, *corpus* potest. Senecam audiamus, qui magnoperè alioquin animi humani & nobilitatem admiratur, & imperium deprædicat, adeò ut illum alicubi DEUM in humano corpore hospitantem audeat nominare. Ille tamèn in Consolatione ad Marciam : *Hæc,* inquit, *quæ vides ossa nervis circumvoluta, & obductam cutem, & ministras manûs, & cætera quibus involuti sumus, vincula animorum tenebræque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur à veris & suis in falsa conjectus. Omne illi cum hac gravi carne certamen est, ne abstrahatur & sidat. Nititur illò, undè dimissus est. Ubi illum æterna requies manet è confusis crassisque pura & liquida visentem.* Non longè Philosophus hic videtur abludere ab eo, quod de luctâ carnis adversus spiritum, Sacrarum literarum oraculis docemur. Quicquid sit, afficitur sanè â corpore animus, & quemadmodùm corpus, ex elementis perpetuò inter se pugnantibus concrevit, ita nec animus sibi semper constat. Subindè aversatur, quod ei ante placuerat : quos nuper sectabatur, mox vitat. Sæpè seipsum fugit, certè â seipso dissidet, sibi displicet, sibi irascitur, & ægrè nonnunqaàm adducitur, ut

secum

ſecum redeat in gratiam. Subindè locum, vitæ genus, conſilia mutat, nunquàm præſentibus contentus. Graphicè in hanc rem Lucretius lib. III.

— — Ut nunc plerumque videmus
Quid ſibi quisq; velit, neſcire & quærere ſemper,
Commutare locum, quaſi onus deponere posſit,
Exit ſæpè foras.

Facit quoque huc Auſonii locus :

Disſidet ambiguis ſemper mens obvia votis,
Nec voluisſe homini ſatis eſt, optata recuſat,
Eſſe in honore placet : mox pœnitet, & dominari
Ut posſint, ſervire volunt.

Porrò ut in corpus, ſic in animum multùm roboris habet ætatis, temperamenti, cælique ipſius diſpoſitio. Ab ætate certè eſt, quod aliter plerumque animati juvenes, aliter ſenes ſunt. Illi affectibus fervidi, ad ardua rerum audaces, ad pericula incauti, ad voluptates proni, ad prodigendum argentum præcipites, in vitium fermè omne faciles ac quaſi cerei eſſe ſolent. Contra autem ſenes ad concupiſcentiam hebetiores, ad conſilia lenti, in ſuſpiciones & querelas propenſi, plerumque omnia tuta metuentes, verbis profuſi, manu parci ac tenaces eſſe conſuevêre. Quis prætereà ignorat, quantum in homine exſuperantis in corpore humoris dominatio posſit? Si ſanguis abundat, isq; defecatus ad hilaritatem, ad benignitatem, ſed ſæpè nimis flexibilem, adeoque fraudi opportunam ſequitur inclinatio. Si pituita prævalet, homo in-

mo inhabilis, piger, remiſſusque ad omnia: Si flava bilis præpollet, tumidus, cupidus honoris, iraſci & lædere facilis, turbarum litium, bellorumque appetens erit. Si eadem bilis nigreſcat nimiùm, læva quædam morum difficultas, nubila frontis mæſtities, & anxia mentis ſolicitudo ſuborietur. Nec ſine multo certamine, multo labóre, magnâ etiam felicitate & ſingulari quodam cæli favore is qui copiâ & viribus prævaluit in homine humor ad modum ac temperiem revocari poteſt. Cùm cæli favorem addidi, providam curam Dei, benignamque opem intelligi velim, ſine quâ ſanè mortales ſui ipſius regimini, rei perquam difficili ac operoſæ, non ſufficiunt. Aliquantum forſan huc quoque ſiderum influxus facit; Nec ille tantum, quo imbutus homo eſt, cum auras vitales ſubiit, ſed præcipuè iſte, quo quotidiè fruimur. Neque enim prorsùs de nihilo eſt, quod ille ait:

Tales ſunt hominum mentes, quali pater ipſe
Juppiter auctifero colluſtrat lumine terras.

Certè aliter affectos ſe ſentiunt mortales, ubi Sol ſerenus fulſit, aliter ubi cælum nubibus obductum eſt. Et ut morbos ſub noctem plerumque ingraveſcere videmus: ita Sole ſuas vires minùs exſerente, triſtes curæ inoleſcere ſolent. Quod ſi porrò Aſtrologis fides eſt, (uti omnis prorsùs detrahi illis non poteſt) bonorum malorumque, quæ in ſingulos annos orbi portendere ac vaticinari ſolent, ſemina aliqua in ipſa vi aſtrorum poſita eſſe

oportet. Nam cùm illi peſtem vel bella nobis ex tali horum vel illorum ſiderum poſitu oppoſituve augurantur, ſignificant eo ipſo, eſſe efficax aliquod ſiderum in animos hominum defluvium, quo hi ita afficiantur, ut, niſi aliundè & à vi majore impedimentum interveniat, nihil aliud magis, quàm diſcordias, quam ferrum & bella ſpirent. Et eâ in
„ re Aſtrologis Seneca videtur asſentiri: *Ex ſiderum*
„ *quoque*, inquit, *leviſſimis motibus fortunæ populorum*
„ *dependent*, & *maximina ac minima proindè formantur*,
„ *prout æquum iniquumve ſidus incesſit*. Conſol. ad Marciam cap. 18. Dum autem animi & affectuum humanorum mutationes memoro, non poſſum, quin illam tangam, quæ ab amoris maximi in homine affectûs inconſtantiâ profecta, amicitiarum jura & nexûs reſolvit rumpitque. De quâ labe, ex quo eſſe cæpit, queſtum eſt humanum genus. Nota Sapientiæ magiſtri vox eſt: ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος. Bonus fuit Princeps, nec malè dixit, qui bonos Principes uni annulo inſcribi poſſe dixit. Sed idem ferè de veris amicis dici posſit. Certè ex omnibus ſeculis vix tria aut quatuor nominari amicorum paria agnovit jam olim Cicero de Amicit.
„ Quod idem innuit Seneca, dùm inquit: *Neſcis*,
„ *quantum ſit pretium amicitiæ, ſi non intelligis multùm te*
„ *ei daturum, qui dederit amicum, rem non domibus tan-*
„ *tùm ſed ſeculis raram: quæ non alibi magis deeſt, quam*
„ *ubi creditur abundare*. Et quid mirum, plerisque hominum amicos, amicis verò, qui eſſe videntur, fidem

fidem deesse? Ferè enim utilitate homines, non virtute aut honestate metiuntur amicitias; & fortunam aliorum, non ipsos amant. Fortuna autem cum sit variabilis, illi perindè, ut ventus fortunæ spiraverit, vertunt velum. Cum res secundæ sunt, turba amicorum circumsidet: circa eversos ingens solitudo est: & *indè amici fugiunt, ubi probantur*, ut rectè ait Seneca. Quod idem Petronius melior alioquin facundiæ & elegantiarum quàm virtutis arbiter, inter tot alios testatur:

Cum fortuna manet, vultum servatis amici,
Cum cedit, turpi vertitis ora fugâ.

Inprimis verò Aulæ ejusmodi amicis vel potiùs larvis amicorum plenæ sempèr fuêrunt, & sunt. Nempè exulat ab istis veritas, & quomodò verus ibi reperiatur amicus? Certamen potiùs istîc esse solet, quomodò alter alterum quàm scitissimè circumveniat. Sed eâ de re in Aulico, â nobis aliquandò verso, aliisque id genus libellis plura legi possunt.

CAPUT V.

Mutationes animorum ex conversatione, ex fortunæ diversitate.

NOS jam ad alia pergimus, quæ hominis animum moresque mutare atque invertere solent. Inter quæ non spernendam vim habet conversatio. Certè uti tabernæ unguentariæ semper odorem aliquem commoranti affricant: ita

boni honestique mores auram semper aliquam suæ virtutis afflant iis, qui cum ipsis habent commercium. Contra etiam, sicut flumina per se dulcia, cum mare subière, salsescunt, sic mores per se haud mali malorum consvetudine corumpuntur. Dicendum quoq; jam est, quantum in hominem fortunæ liceat: & quàm istius vis in ipsum sese animum soleat infundere. Certè alii plerumq; sunt mortales, cùm res ex voto succedunt: alii, cùm inter adversa luctantur. Alii mores, ubi divitias, honores, victorias, triumphos, sceptra & trabeas fortuna suggerit, alii, cùm inter contumelias & contemptus vita trahenda est. Res secundæ inprimis multùm immutare solent homines, quippe quæ antiqui Scriptoris judicio, etiam *sapientum animos fatigant*, & subinde in superbiam, luxum, stultitiam præcipitant. Dario, inquit Curtius; *erat mite ac tractabile ingenium, nisi etiam naturam plerumq; fortuna corrumperet.* Et pari sensu Charidemus eum alloquitur: *Tu quidem licentiâ Regni subito mutatus, documentum eris posteris, homines, cum se permisère fortunæ, etiam naturam dediscere.* Dario aliis rebus adversus, in hoc simillimus Alexander fuit. Quem Regno & vitâ is exuerat, ejus mores induit victor. Quem inquit, florentissimus historicorum Curtius, *arma Persarum non fregerant, vitia vicerunt. Intempestiva convivia, & perpotandi pervigilandiq; insana dulcedo, ludiq; & greges pellicum. omnia in externum lapsa sunt morem.* Et alibi: Hic *palàm cupiditates suas solvit, continentiamq;*

tiamq; & moderationem, in altisſimâ quaq; fortunâ eminentia bona, in ſuperbiam ac laſciviam vertit. Et paulò poſt: *Purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, veſtemq; Perſicam ſumpſit, nec omen quidem veritus, quòd à victoris inſignibus in devicti tranſiret habitum.* Et ille ſe quidem Perſarum ſpolia geſtare dicebat: ſed cùm illis quoq; mores induerat, ſuperbiamq; habitûs animi inſolentia ſequebatur. Sed ad hoc exemplar plurima extant in hiſtoriis, & quæ paulò poſt de Principum atque Aulicorum periodis dicentur, majori ex parte hùc quadrabunt. Nunc miſſo jam corpore & animo humano, ad alias conditionis humanæ vices accedamus, quâ, quod neminem diffiteri arbitror, cunctis prorsùs hominibus communes ſunt: adeò ut rarò quiſpiam inveniatur, quem fortuna æquali ſemper aut favore tollat, aut irâ deprimat. Variari plerumq; ſucceſsùs ſolent in vitâ humanâ, & quemadmodùm mare haud quaquam continuò tranquillum eſt, ſed nec continuò etiam turbidum: ita conditio mortalium multas ſubindè alternationes experitur. Nimirùm Deus ipſemet hanc legem rebus mortalium poſuit: & actionum ejus præcipua eſt, ambiguis vicibus verſare genus humanum. Non malè utique vetus ille Chilo, cum quid Deus ageret in cælis rogaretur, reſpondit: *humilia exaltat, excelſa humiliat.* Id quod exemplis oſtendere non adeò forſan neceſſarium fuerit, quùm magna eorum ſeges obvia cuique ſit, & ſeſe in hac ipſâ noſtri ſeculi ſcenâ un-

diquaque in oculos ingerat. Per ipſa dominia rerum atque Capita orbis ſi ire luberet, occurrerent Principes, quorum ſacro in vertice vix dum diademata benè ſederant, quando, levi intercedente morbo, ſplendidisſimas inaugurationum pompas cum funebri cupreſſo commutârunt. Occurrerent alii, quos Regia Majeſtas, & magnorum Regnorum poſſeſſio ab infinitis difficultatibus, & tragicâ denique ſecuri, liberare non potuit. Adeſſent, quibus Imperii curæ ejusmodi concivêre faſtidium, ut abdicatione ſceptri libertatem ſibi putârint emendam. Nec deeſſent, qui ex humili conditione ad paludamenta Imperatoria, & hinc porrò ad ejusmodi potentiam pervenêre, ut maximis Regibus fuerint formidabiles.

CAPUT VI.

Excurſus de novisſimis rerum in Poloniâ vicibus.

EX ipſo inprimis hoc Regno noſtro quot viciſſitudinum, & quàm atrocia ſeſe offerunt exempla? Totus profectò orbis inhorruit, ad mala ingentia, quibus nos anni ſuperiores obruêre. Equidèm ſecundum conceptam animo meo ſeriem pertinere illa videntur ad eam clasſem, quæ integrarum gentium casûs ac fata exponet. Neque enim unius aut alteriùs Ducis, Magnatis, vel Aulici, in hoc Regno commota nunc fortuna eſt. Tota Reſpubl.

Reſpubl. imis evulſa cardinibus contremuit, & multorum judicio præceps in ruinam ire viſa eſt. Hoſtium contra felicitas ſupra ſpem ipſorum, quantumvis audacem, penè & ultra voti libidinem ſeſe nuper extulerat. Fatigata erat Polonia noſtra bello ſervili per annos penè octo. Stipendiarii Reipubl. Coſaci arma, quæ defendendis Regni finibus impendere debebant, in Regnum ipſum converterant. Atque ut tantò potentiùs nocerent, cum Tartaris, acerrimis antea hoſtibus ſuis, conjuravêre. Concurrente ad hanc nefariam ſocietatem universâ Ruſſicâ plebe, coactus aliquoties trecentorum penè millium hominum exercitus incubuit Regno, primusque eorum impetus in Rempubl. Capite orbam incidit. Quippè tùm Vladislaum Regem intempeſtiva mors abſtulerat. Cum Rege expirâſſe videbatur felicitas Poloniæ: nam eodem penè tempore exercitus, qui pro ſecuritate publicâ hactenùs excubuerat, cæſus, Ducesque ipſi cum flore militiæ in captivitatem Tartaricam abducti ſunt. Domi diſcors Nobilitas tardè ad quærendam publicæ rei medelam concurrit, & ubi concurrerat, boni regiminis defectu &, neſcio quo paucorum temerario conſilio dilapſâ, magno dedecore ſuo, animos & opes hoſtium erexit. Caput deindè novum adepta Reſpubl. proſperiùs aliquanto movit lacertos. Primâ enim expeditione Rex exercitum Polonum immensâ Coſacorum & Scytharum multitudine ad Zbaraſiam circumvalla-

tum, ex præsentissimo discrimine, sed non sine magno quoque & suo, & copiarum suarum periculo liberavit. Alterâ, eosdem hostes ad Beresteciam fudit prælio triduano: elapsasque astu reliquias Cosacorum, apud Albumfanum per Duces suos, sub adductius frænum adegit. Anno post, cum omnia quieta esse viderentur, subito impetu coorta eadem hostium colluvies exercitum Reipubl. denuò propè Batovum circumfudit, & penè totum unà cum Ducibus delevit. Iterùm Rex ipse arma induit, & ad Camenecciam, ultimum adversus Turcas propugnaculum, progressus, inito cum Transylvaniæ Palatino Rakocio fœdere, Cosacorum vires imminuit, non tam pugnando quidem, quàm Chmelnicianas societates dissolvendo. Nam & novam hominis cum Muldaviæ Principe affinitatem, alio Principe introducto, inutilem, Regno innoxiam fecit: & Tartaros denique Cosacorum hactenùs propugnatores, sibi & Reipubl. conciliavit. Sed tum Cosaci Tartaris, ob renovatam cum Rege amicitiam diffisi, Moscorum Principi sese dedidêre. Qui dudùm jam Poloniæ, inter bella intestina tot annis longvescenti, inhians, & jam tanti roboris accessu ferocior, Lithvaniam ingente exercitu invadit, & penè totam occupat, cum Lithvanicus exercitus minor esset, quàm ut tantæ potentiæ resistere posset, & quod superérat provinciæ robur, pravis aut malè concordibus (ut rem perniciosissimam lenissimo nùnc vocabulo exprimam)

aliquo-

aliquorum consiliis non parùm minuebatur. Poloniæ quoque ipsius ita accisæ vires erant, ut non illicò magnos exercitûs submittere posset. Et tùm insuper optimi Regis pro Republ. conatibus, per homines factiosos, & ex novis rebus crescere cupidos, intercedebatur. Cæterùm invalescente ita in Lithvaniâ Mosco, ultra mare quoque Martius Svecorum Rex, ferrum acuere incipit in Poloniam, non alio fortiore stimulo impulsus, quàm quod tot bellis occupatam, fessam atque ideò, minùs restituram existimaret. Mittuntur Legati, qui innocentiam Poloniæ probarent Regi, & omni etiam specie injuriarum discussâ, pacem & fœdus quærerent. Sed æquis conditionibus expleri non potuit spes, quâ hostes illi Regnum integrum vel magnam certè ejus partem devoraverant, nec revocari arma, quorum prosperimos in Poloniâ undiquaque tùm laborante, successûs ipsa temporis opportunitas, quietis suæ impatientibus, ostentabat. Ingressus itaque est Sveciæ Rex Poloniam valido & dudum & rebus omnibus instructo exercitu. Venit eidem in auxilium Dux Transsylvaniæ Racocius. Venêre Cosaci & cum his Tartari. Venit denique, præter alios è Germaniâ principes, vicinus & feudi legibus Poloniæ innexus. Qui omnes primò secundissimam in Regno undiquaq; fatigato fortunam, at diversissimam tandem experti, insigne & ad argumentum, quod jam tractamus, præclarè faciens spectaculum Orbi dedêre,

ſed hæc curatiori operi hiſtoriæ, quam molimur, reſervanda cenſemus.

CAPUT VII.

Viciſſitudines, quas magni Principes experti ſunt. Julius Cæſar. Pompejus. Polycrates, alii.

NUnc antiqua & magis remota aggredientibus primus nobis prodeat Julius Cæſar, qui quantas res pro patria & contra patriam geſſerit, quodque faſtigium per tot rerum diſcrimina tandem attigerit, nemo eſt, qui ignoret. Neque adeò aut victorias ejus, aut caſus omnes hîc enumerabo. Primam tantum luctam illius, quam cum fortunâ juvenis habuit, brevibus attingam. Erat is in ipſo flore ætatis ſuæ, Syllæ Dictatori ſuſpectus: quippe qui in eo multos ſe Marios videre dictitabat. Sylla itaque victor, cum in Marii factionem atrocisſimè ſæviret, Julio huic, etſi vix dum puberi minimè parſurus videbatur. Julius fugâ ſibi conſulit. Sed ſcyllam vitans in charybdin incidit. Navigans enim capitur à piratis: à quibus nemo illi niſi triſtisſima quæq; ominabatur. Nihilominùs huic quoque diſcrimini pretio ſe exemit, fortunâ ſemper admirabilis, nec minùs animo, quem inter pericula perpetuò intrepidum ſervavit. Plurimùm olim delectatus ſum, cum hunc quaſi ludentis fortunæ mimum & ſimul ſummam Julii ſecuritatem mentemque imperterritam in Plutarcho

tarcho legerem, nec abſtinere potui, quin epigrammate rem complecterer; quod liceat hîc ſubjicere:

Syllanum fugiens vix puber Julius enſem,
Captus ab Æmathii claſſe Latronis erat.
Nil juviſſe fugam, niſi quod mutaverit hoſtem,
Et pejora Dei quisq; timenda putat.
Nil metuit Cæſar, cælo ſecurus amico,
Iſtaq; fortunæ judicat eſſe jocum.
Largus & ipſe ſui Cenſor, piratica temnit
Arbitria & parvo ſe licuiſſe dolet.
Aures carminibus, ſomnisq; ſilentia poſcit,
Qui renuunt, fatuos bardaq; corda vocat.
Virtutis mihi cerne animos: dum capta tenetur,
Imperat, & Dominis jura dat ipſa ſuis.

Verùm multos equidem claros viros per res adverſas ad magna felicitatis culmina videmus pertigiſſe, eòdemque etiam poſt interpoſitam fortunæ aliquam velut eclipſin, rediiſſe. Quod genus vicisſitudinis etſi acerbum primò animis eſt, quia tamen læto tandem clauditur exitu, aliquibus non adeò refugiendum videtur. Multis quippe volupe eſt ad eum modum luctari, dùm magnificè vincant: & placet talibus, quantumvis carò empta felicitas. Sed age jam alteram fortunæ faciem, ex ſerenâ ſcilicet nubilam, & meris tempeſtatibus naufragiisque deſævientem in exemplis quibusdam intueamur. Agmen ducat Pompejus, Vir ſummus & à rerum geſtarum excellen-

tiâ

tiâ Magni nomen adeptus. Is quò faſtigii in Urbe Romanâ perveniſſet, ipſe apud Lucanum indicat, ubi ita loquitur :

Quò potuit civem populus perducere liber,
Aſcendi, ſupraq; nihil niſi Regna reliqui.
Non privata cupit Romanâ quisquis in urbe
Pompejum tranſire parat.

Et paulò poſt:

Pars mundi mihi nulla vacat: ſed tota tenetur
Terra meis, quocunq; jacet ſub Sole, trophæis.

Is tamen tantus Vir quò prolapſus eſt miſeriæ? Victus â C. Cæſare ſummæ fortunæ ratem uno ictu fractam reparare nunquam potuit, ſed ubi miſerrimum exilium aliquandiu per maria & terras varias circumtulerat, in Ægypto tandem auguſtum illud & Regibus ante formidatum caput Septimio, clienti olim ſuo, coram uxore & liberis abſcindendum præbuit, ne juſto quidem ſepulchri honore poſt fata donatus. Pulchrè de eodem hoc Pompejo & aliis fortunâ illi ſimilibus, Nirenbergius, cum folle ſeu pilâ eos comparans :

Pax nulla folli, nulla potentibus.
Pompejus, Orbis cum fuerat pila,
Hic ſortis eſt pila in duello
Carnifici data præda ferro.

Pompejum tempore, propè etiam felicitate anteceſſit Polycrates Samiorum Rex, cui fortuna ipſa adeò ſeſe addixiſſe videbatur, ut nihil unquam adverſi contingere ei paſſa ſit. At finis tamen qualis

lis? Victus à Persis, in cruce tandem felicem illam, ut visa est, vitæ fabulam infelicissimo exitu terminavit. Possem hic Cræsos, Darios, Dionysios, Perseos, Jugurthas, Herodes, Aristotimos, Caractacos, possem alios ex antiquitatis annalibus, possem & ex recentioribus historiis Henricos Imperatores, Franciscos, Henricos Galliarum, Joannes, Carolos Angliæ Reges, possem & alios plures adducere, sed non libet jam tragicum hoc Monarcharum ingredi theatrum. Malo ad Principum Regumque Ministros transire.

CAPUT VIII.

Magnorum Aulæ Ministrorum vices, Sejani, Cleandri, Rufini, Stiliconis, Eutropii.

NUsquam frequentiores sibi ludos struit fortuna, quàm in magnis magnorum Principum Ministris. Plurimos utique, fallaci quâdam blandientis fortunæ comitate eò evectos legimus, undè nonnisi cadendo potuerunt descendere Primum inter eos locum meretur Seianus: quo homine nemo unquam aulicorum altiùs ascendit. At quem tandem is honorum omnium fructum, quem ambitionis colophonem habuit? *Quo die*, inquit Seneca, *Senatus illum deduxerat* (consortio nempè & successione imperii honorandum â Tiberio) *populus in frusta divisit. Atq; ita, in quem, quicquid congeri*

„ geri poterat, Dii hominesq; contulerant, ex eo nihil su-„ perfuit, quod carnifex traheret. Apud Commodum Imperatorem, Cleander quidam, Phryx natione, ab infimâ conditione eo posteà honoris *provectus est, ut & Corporis* Imperatorii *custodiam, & cubiculi curam, prætereà militum præfecturam solus obtineret. Tandem divitiæ ac luxus eundem ad spem Imperii instigarunt. Et corruptis pretio militibus, imperatore verò ipso in altissimâ otii ac voluptatum saginâ, rerum omnium quæ in publico agerentur, ignaro securoq;, compos abiisset voti: nisi una Sororum Commodi molitiones Cleandri, & præsentissimum, quod ab eo toti Imperatoriæ domui immineret periculum, lugubri & scissâ veste solutisq; crinibus fratri exposuisset. Qui re penitius mox exploratâ, Cleandro ad se accersito, caput amputari, & conto præfixum circumferri jubet, gratum populo, qui pessimè hominem oderat, spectaculum præbiturus. Liberi quoq; ejus & amici ad unum omnes contrucidati, tractaq; per urbem cadavera, & postremo in cloacas objecta.* Ita rem memorat Herodianus. Qui item narrationem tali corollario claudit: *Hic*, inquit, *finis Cleandri fatorum fuit: quasi in uno illo velut ambitiosius ostentaret (ut sic dixerim) natura humana, posse ex infimo loco ad supremum fastigium evehi hominem atq; evectum dein rursum deturbari, quamlibet exiguo atq; insperato fortunæ momento.* Arcadii & Honorii tempora præ cæteris duo insignia Aulæ delicia primùm, eademque mox ludibria exhibent, Rufinum & Eutropium. De quibus etsi in Aulico inculpato actum memini, juvat tamen nonnihil usq; hic addere. Ruffinum

finum Theodosius Imperator tanti fecit, ut & secretissimis consiliis summisq; Imperii rebus, & denique filii sui Arcadii tutelæ ipsum adhiberet. Sed idem Stiliconem virtute & rebus gestis inclytum reveritus, quò eum ab Aulâ abstineret, Alaricum Gothorum Regulum ad invadendum Imperium Romanum excitat, eâ rerum perturbatione ipsi etiam Arcadio eripere diadema & suo imponere capiti sperans. Sed nefaria consilia, plus Autori, quàm Imperio, aut Imperatori nocuêre. Proditione enim compertâ Ruffinus, à militibus Italicis Duce Gainâ occisus est: caputque ejus ante portam Constantinopolitanam publico pependit ludibrio. Ejus porrò opes Eutropio cesserunt, æmulo ipsius, sed qui ob mores non pares modò sed longè deteriores, simile quoque fatum tandem expertus est. Iste homo conditione servus, virilitatem insuper puer amiserat, plurium posteà Dominorum fastidio venditus, ad lenocinium denique sese applicuit. Undè de illo Claudianus:

Aggreditur lenonis opus, nec segnis ad artem
Mens erat, officiiq; capax: omnesq; pudoris
Hauserat insidias. Custodia nulla tuendo
Fida toro, nulli poterant excludere vectes.
Ille vel æratâ Danaen sub turre latentem
Eliceret, fletus Domini fingebat amantis,
Indomitasq; morâ, pretio leniebat avaras,
Lascivasq; jocis.

Is tamen poſtea mirâ ſeu ingenii ſui ſolertiâ, ſeu fortunæ potiùs jocantis luſu, in aulam & intimam denique Imperatoris gratiam irrepſit, adeo ut tandem cæteros propè omnes Purpuratos potentiâ anteiret. Quo nomine idem Poëta fatorum iniquitatem & admiratur & quodammodò accuſat:

—— — proh quisquis Olympi
Summa tenes, tantone libet mortalia riſu
Vertere? qui ſervi non eſt admiſſus in uſum,
Suſcipitur Regnis, & quem privata miniſtrum
Dedignata domus, moderantem ſuſtinet Aula.

Paulò poſt ejusdem impotentem, crudelemque dominatum ita deſcribit:

Semivir excelſam rerum ſublatus in arcem,
Quod nec vota pati, nec fingere ſomnia poſſunt,
Vidit ſub pedibus leges, ſubjectaq; colla
Nobilium, tantumq; ſibi permittere fata,
Qui nil optaſſet plus libertate mereri,
Jamjam disſimulant Dominos, alteq; tumeſcunt
Serviles animi, procerum ſqualore repletus
Carcer, & exulibus Meroe, campiq; gemiſcunt
Æthiopum, pœnis hominum plaga perſonat ardens,
Marmaricus claris violatur cædibus Ammon.
Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſævit in omnes,
Ut ſe poſſe putent: nec bellua tetrior ulla eſt,
Quam ſervi rabies in libera colla furentis.

Ut hæc rectiùs intelligantur, expediverit, Zoſimi hiſtoriam, & tripartitam inſpicere. Sed rem compendio

pendio tradit Suidas veterum autorum diligens & utilis rei literatæ scriptor: *Eutropius*, inquit, *Imperatoris Arcadii Cubicularius, nullum facinus prætermisit, tum magistratus publicè vendendo, tùm milites calumniando, tùm proceres relegando, tum omnibus contumeliis Senatum afficiendo: ac ne Barbarorum quidem societate sibi temperavit, non aliâ ex causa, aut spe, quàm quod ita ad fastigium Imperatorium perventurum se speraret. Atq; ut impietas luculentius appareat eos, qui in templa, asyla alioquin ipsa religionis sanctitate venerabilia, confugerant, comprehendi jussit, legemq; promulgavit, quâ illos, vel ab aris abstrahi permittebatur.* Sed quis tandem exitus Evnuchi istius fuit? quæ fabulæ, quam in ipso fortuna lusit, catastrophe? Cum diu provinciis, cum Imperii proceribus, cum imperio ipsi insultasset, linguæ deniq; intemperantiâ, & nescio quibus conviciis Imperatricem, & in eâ Imperatorem Arcadium offendit, atq; indè in Cyprum Insulam sepositus est. De quâ re ita Claudianus:

Qui modo sublimes rerum flectebat habenas
Patritius, rursus verbera nota timet.
Et solitos tardæ passurus compedis orbes,
In Dominos vanas luget abîsse minas.
Culmine dejectum vitæ fortuna priori
Reddidit insano jam satiata joco.
Scindere nunc alia meditatur ligna securi,
Fascibus & tandem vapulat ille suis.
Illicitas Consul pœnas, se Consule, solvit,
Annus qui trabeas, hic dedit exilium.

Et paulo pòst:

Mollis fæmineâ detruditur arte Tyrannus,
Et thalamo pulsus prodidit Imperium.

Sed non hic stetit Nemesis. Benignè nimis cum eo sibi visa est decidisse, si homo tot scelerum reus nonnisi exilio multaretur. Itaq;, urgente Gaine, viro bellicoso, sed & ipso postea easdem fortunæ vices experturo, è Cypro revocatus, jussu Imperatoris, occiditur, quemadmodùm testatur Zosimus. Nam Claudianus ultra ejus exilium non est progressus.

CAPUT IX.

Vices Philippæ Catanensis, Mariti & filii nec non filiæ ejus. Pandulphi Carraccioli.

MInùs fortasse pervulgatum, at non minùs notabile est exemplum, quod Neapolitana nobis historia suppeditat: Petro Matthæo, floridissimo rerum Gallicarum scriptori dignum habitum, quod peculiari libello Gallico complecteretur, haustum ut ipse profitetur, ex Joannis Bocacii Florentini scripto de casibus illustrium virorum. Tragœdiam, quam tanta ingenia exquisito labore, velut in theatro exhibuêre, brevibus hîc exponam. Quo tempore Robertus Calabriæ Dux, Caroli II. Regis Neapolitani filius, bellum contra Fridericum Arragonium gerens, Panormum

mum Siciliæ urbem obſidebat, uxor ejus Violanta, ut obſidionis faſtidia militibus leviora redderet ſuâ præſentiâ, apud Maritum in caſtris, gravida perſtitit, ibique filium enixa eſt, nullâ auxiliante idonearum mulierum, quales parientibus adhiberi ſolent, manu, ſeu quia copiam talium vita caſtrenſis negabat, ſeu quod hora partitudinis opinione citiùs oppreſſerat prægnantem. Adhibita eſt, quæ fortè fortuna aderat, vilisſimi generis fæmina, quippè linteaminibus lavandis vitam tolerare ſolita, & pauperrimi piſcatoris uxor. Philippa, & à patriâ Catanenſis appellabatur. Hæc quâdam ingenii & morum gratiâ ita puerperæ placuit, ut quæ obſtetrix parienti fuiſſet, eadem nati Infantis nutrix eſſe juberetur. Et brevi tempore adeò Principis animum cepit, adeò & benè fundavit fortunam ſuam, ut nec ſecuta paulò pòſt Infantis mors gratiam nutricis extingveret, nec deinceps etiam Violantæ ipſius deceſſus ſiſteret felicitatem. Nam â moriente Dominâ commendata Principi marito, eo authore alterius poſtea conjugis Sanctiæ parem affectum experta eſt. Interim piſcator Philippæ maritus moritur. Illicò Viduæ proci non obſcuræ notæ inhiant. Sed Principi utrique placuit eam Raimundo cuidam locare. Hunc hominem gente Maurum, conditione ſervum, religione Mahumetanum emerat Raymondus Campanus Culinæ Regiæ præfectus: & in eo commoditatem morum ac miram quandam ingenii ſa-

gacitatem ita adamare cæpit, ut non tantum nominis ſui Gentilitii, cum Chriſtianis ſacris hominem initiari curaret, ſed poſtea etiam muneris, quod in aulâ ſplendidum habebat, participem faceret, cum ipſe â Rege Carolo ad altiorem dignitatem eveheretur. Non multò poſt Maurus veſtiario Regio præficitur; & Philippæ mox procus, antequam cum eâ in manum conveniret, equeſtribus ornamentis, magnificâ ſolennitate â Rege, præſente præter cæteros ejus filio, Rege Ungariæ & conjuge ipſius, donatur, verba juramenti, quod ab Equitibus exigi ſolebat, præeunte Barenſi Archiepiſcopo. Interim Carolus Rex moritur: ſuccedit Robertus hactenùs Calabriæ Dux, Violantæ olim & poſt eam Sanctiæ maritus. Is altior jam fortunâ, animo idem erga Philippam, hanc ipſam filio ſuo & nurui Mariæ Valeſiæ commendat: quæ ſimul ut primo partu filiam edidiſſet, ea non alii, quàm Philippæ educanda traditur: ejusdemque recens natæ Principis familiæ univerſæ præficitur: maritus autem Philippæ, Raymundus ille, paulò poſt magnus Seneſchallus Regni Neapolitani creatur. Quæ inter Regni ejus dignitates primaria & proxima Regiæ habetur. Bocacius rem hanc memorans tenere ſe non poteſt, quin exclamet: *O ridiculum,* inquit, *vidiſſe ex ergaſtulo ſervili ac nidore popinæ Æthiopem Roberto Regi inter primos Regalia obſequia exhibentem!* Sed non multo poſt acceptam hanc dignitatem honorum omnium & vitæ finem habuit

Raimun-

Raimundus, felici morte, quæ ipſum invidiæ & hinc ſecuturæ runiæ ſubtraxit. Philippæ interim in Aulâ magis magisque evaleſcebat potentia. Præſertim quod Joannam, patre orbam, Robertus avus, tenerrimo amore proſequebatur, & hæredem ſibi deſtinaverat. Tantò magis illa, & propter illam gubernatrix quoque Philippa, ab omnibus adorabatur. Et hæc tam bellam ambitionis explendæ occaſionem nacta, pro arbitrio ſuo omnia agebat. Nec obfuit ei, quod Joanna paulò poſt Andreæ, filio Caroli Regis Ungariæ deſponſata eſt. Nam & ſic tamen potior illa ſemper apud Joannam, quàm Sponſus fuit. Quin illa hunc indies magis, magisque odiſſe cæpit, Philippæ magis magisque obſequi. Undè hæc & opes Regni & munia magiſtratuum ad ſe rapiens, ac pro lubitu diſtribuens, filio ſuo Comitatum Ebulenſem & ſimul magni Seneſchalli munus, quod pater Raimundus nuper deceſſu ſuo vacuum fecerat, genero autem ſuo Comitatum Murſanum, pariterque rei maritimæ regimen tradit. Papa malè ferens Andream â Joannâ, inſtinctu Philippæ, contemptim ac porrò Regni quoque res perperàm haberi, Andream Regio vult diademate inſigniri. Philippa, quantum poteſt, obſtat, Joannæ perſuadens mariti coronationem in diminutionem ipſius ceſſuram, ſimul filium, generum, amicos & clientes inſtruens, ut ſeſe opponant. Sed fruſtra fuit omnis contra nitentium conatus. Undè Philippa, Andreæ jam Regis po-

tentiam & vindictam metuens, tollendi Regis consilia init. Nec mora. Per Carolum Artum, quem Philippa magnum Chambellanum fieri curaverat, conscio filio, & genero Philippæ, conscio etiam Carolo Durasio & Mariâ Joannæ Sorore, injecto laqueo sericeo strangulatur Andreas Rex: occiduntur non pauci ministrorum aulicorum, qui prodere posse videbantur sceleris autores. Fama occisi Regis bacchatur illicò ex Urbe Principe in Regnum, & in Ungariam ipsam post delata excit Ludovicum Regem ad vindicandam Fratris sui mortem. Proceres Neapolitani & Papa ipse Reginam hortantur, ut severâ lege in autores sceleris animadvertatur. Joanna, ut sese â crimine absolveret, consentit in reos inquiri. Capti multi ex cubiculi Regii familiaribus, & inprimis Philippa, filius item Seneschallus, filia denique cum marito Comite Mursano, torturæ subjiciuntur publicè, & omni inspectante populo. Postea crati impositi trahuntur nudi per vicos Urbis, & ut terrâ marique crudele spectaculum exhiberetur, tribus malis navalibus alligati, forcipibus candentibus carpuntur, scinduntur novaculis, igne lento ustulantur. Philippa inter hæc expirat, senili corpore *tot* & tantis cruciatibus non sufficiente. Sed mortuæ cor & viscera per carnificem abrepta, caput verò portæ Neapolitanæ impositum, reliquum corpus in cinerem redactum. Filia ejus post tot tormenta vivicomburio punita. Filius pariter ad ignem damnatus, diutissimè omnium

mnium se mori sensit. Nam semitostum & semivivum jam populus per spurcissima quæque Urbis loca traxit. Postea cor ac viscera frustillatim direpta, tanto plebis furore, ut essent, qui ungvibus ea, imò & dentibus invaderent. Hic finis Philippæ, & liberorum ejus fuit. Primos eorum successûs inspicientibus fateri oportet plus quàm matrem iis fortuna fuisse, si extrema, plusquam carnificem. Non abs re historiam hanc concludens Matthæus: *Quamdiu*, inquit, *hic mundus stabit, aget ibi tragædias suas fortuna, & palam faciet, se non alios arctius amplecti, quàm quos suffocare velit.* Cæterùm eadem hæc aula Neapolitana non dissimilem minimum sub Joannâ II, in Pandulpho quodam & Caracciolo edidit, sed quia eum ex Collenutio & Scipione Amirato Clariss. Forstnerus in notis ad Tacitum, cum curâ annotavit, malo illîc legi, quam à me recitari historiam.

CAPUT IX.

Vices Alvari Lunæ, Ducis Ossunæ, Calderonii in Hispaniâ, item Ducis Lermæi & filiorum ejus.

NUnc mihi ab aulâ Neapolitanâ ad Hispanam lubet transire. In eâ præ aliis Alvarus Luna nobis occurrit, homo nothus, sed rarâ animi industriâ magnam sibi fortunam struere aptus.

Quam & apud Joannem Arragoniæ Regem ſtruxit ſibi maximam. Nam non tantum ordinis S. Jacobi magiſter, ſed & magnus Regni Comeſtabilis factus eſt. Regem verò ita ſibi addictum habuit, ut honorum, ut opum, ut pacis & armorum arbitrium uni ipſi permitteretur. Et cum ipſe hic Regis amor odium apud alios in regno & extra Regnum ei concitâſſet, Rex ipſiùs cauſa non ſimultatem tantùm cum Reginâ invidiamq; apud filium & proceres reliquos, ſed & bella cum Patruelibus ſuſcepit. Quid verò tandem? Ubi diu Vir hic omnibus aliis præhabitus fuerat, venit denique Regi ſeu amicitiæ iſtus, ſeu odiorum, quæ propter illum à cæteris patiebatur, ſatietas. Hincque paulatim homini tergum obvertere cæpit Rex & fortuna; donec tandem in oppido Burgenſi captus, capitalique ſupplicio affectus, in foro per triduum oſtentui fuit omnibus, veterisq; dicti ſui adſtantes mortuus & mutus admonuit, *non eſſe ædificium laudandum ante finem operis*. Ita enim reſponderat olim iis, qui fortunam ipſius impenſius admirarentur ac prædicarent. Non multo meliorem fortunam in eadem Hiſpanorum Regum aulâ expertus eſt Antonius Perezius diu intimâ Philippi II. gratiâ uſus, poſtea eâdem ob Eſcovedi cædem, etſi conſcio Rege patratam, exutus, & è carcere vix demùm in Galliam elapſus, ubi exilii miſerias morte finiit: de quo, ſi cui lubet plura legere, legat Thuani libr. 104. Ita poſt mortem Philippi

III, ſimul

III., simul atque filius ejus Philippus IV. sceptro manus admovit, Dux Ossunæ olim Pro-Rex Siciliæ & postea Neapolis, in carcerem conjectus est: & Rodericus Calderonius ab infimâ quondam sorte ad potentissimam ac fastuosissimam (ita habet auctarium Chronologicum ad annales Baronii) autoritatem evectus, sed à multo jam tempore plurimorum atrocium criminum reus constitutus, capite damnatur, felicior piâ morte, quàm odiosâ vitâ, ut in eodem auctario Spondani legitur p. 77. Sed Calderonii hujus admirabile fatum si quis pleniùs cognoscere velit, consulat historiam Emanuelis Meterani lib. 41. sub anno 1621. Ubi & hoc leget, ab eodem Philippo IV. Duci Lermæo, qui sub Patre Philippo III. omnia ad nutum habuerat, ademptos esse annuos reditus 70000. aureorum, filio ejus Duci de Vredâ aulæ magisterium, alteri filio Comiti de Salvanâ præfecturam Srabuli Regii ereptam, & omnes Lermæi clientes, antehàc fortunæ pullos & delicias, honoribus ac beneficiis omnibus dejectos.

CAPUT XI.

Vices Aulicorum Ministrorum in Galliis. Engverrani Marini. Oliverii Damæ. Petri Brochiæ, Gvisiorum, Bironii, Ancrei. Luinei.

Svillii, Espernonii, Ornani, Bassompetri, Villa Regii, Momorantii. Mazarini.

AUlæ Hispanicæ Gallica plerumque contraria, & naturali quadam antipathiâ discors, Aulicorum tamen fluxâ & facilè variabili conditione haud quaquam discrepat. Non est opis nostræ, nec instituti hujus enumerare omnes, quos Aula illa vice mirabili evexit depressitque. Sufficiet aliquos nominâsse. Engverranus Marinus flagrantissimâ apud Philippum Pulchrum gratiâ nihil non poterat in Regno Galliæ: at idem à Carolo Valesio, nescio quorum criminum, levium sanè anquisitus, in patibulo vitam posuit. *Oliverium Damam* Ludovicus XI. ex tonstrinâ in aulam vocatum, ad secretissima denique consilia & legationes gravissimas adhibuit. Sed mortuo Ludovico, ab iis, qui Carolum filium regebant, in furcam actus est: ut vitæ genere, sic exitu simillimus *Petro Brochiæ*, quem Philippi olim Regis favor summis pariter & opibus & honoribus cumulaverat: sed pariter tandem finis omnium fuit laqueus. Ex recentiori historiâ offerunt sese Gvisii, qui in Galliâ eò processerant autoritate, ut Regi ipsi essent formidabiles. Sed cum ambitioni eorum nihil jam impervium esse videretur, duo præcipui à sicariis percussi, insolentes spiritûs cum sangvine effudêre. Offert se itidem *Bironius*, Vir ingens,

ingens, & in quo ornando virtus cum fortunâ contendisse visa est. Nam & magna ejus in Henricum IV. fuerunt merita, & meritis ipsius par sanè respondit Regis gratia. Eum enim Ducem, eum Parem, & Mareschalcum Galliæ, eum ordinis utriusque Equitem, eum Burgundiæ Gubernatorem fecerat. Sed ut merita ille sua nefariâ in Regem conspiratione obliteravit, ita exitium sub clementissimo quàm libet Rege, & nihil magis quam conservationem ejus optante, non effugit. Cervicem enim denique carnifici coactus est præbere, & quam triginta quinque vulnera, præliando accepta, non abstulerant animam, unus infamis ictus exhausit. Quid de Concino Marchione Anchreo dicam? Ei ob modicos natales & rem tenuem nihil adeò altum spiranti, eqvus, quem Mariæ Medicææ, munus Sponso suo dandum quærenti, donaverat, primum ad Aulam & gratiam Principis aperuit aditum. Ab illâ Equitis honorarii, deindè primi in aulâ Nobilis, mox & Mareschalci Galliæ honorem obtinuit: postremò autoritate & opibus adeo potens, ut eminentissimos quosque proceres ipsosque etiam sangvinis Principes alto despiceret supercilio. *Si fortuna mansisset*, inquit de eo Gramondus, *nihil erat quod speraret, nihil quod timeret*. Undè cum aliquando capiti Reginæ, quæ ipsius humero innixa procedebat, velum ventus abripuisset, ludere ausus est familiaritèr, *non eget velo, quam anchora firmat*. Sed quantum cun-

cunq; firma ſibi viſa eſt hæc *Anchora*, in *Vitrio* reperit ſcopulum, ad quem frangeretur. Is enim procurante Luinæo, qui ſtante Ancreo ſtatum publicum ſtare non poſſe Regi puero perſvaſerat; in ipſo cubiculi Regii veſtibulo, hominem exarmavit, & duplici glande transverberari juſſit. Sed Luinæi quoque cujus machinatione Ancreus occidit, quale fatum fuit? Equidem populo Gallico æquè erat inviſus atque Ancreus fuerat. Indè natum diſtichon ex nomine utriusque petitum:

Poſt atramentum data ſunt abſynthia *nobis*
Et dubium eſt, utra ſit potio amara magis.

Interim diu ſatis negotia Galliæ ad nutum ejus gerebantur, & nemo non virum iſtic adorabat, quippè cujus ore pronunciare videbatur fortuna, quod cuique datum vellet. Neque dum vixit, dejectus eſt faſtigio, quod tenebat: Attamen jamdudùm ante mortem, imò & ante ſenectam ejus, conſenuit gratia Aulica, quâ olim floruerat, & forſan potentiæ ſuæ ſuperſtitem habuiſſet longior vita. Sed prævenit ille morte ſuâ naufragium fortunæ. Interim mors quoq; ejus veneficii ſuſpicione non caruit. Et mirum eſt, quàm cum illo omnis ilicò clientum amicitia & fides defecerit. *Nondũ exhalaverat animam*, (verba recito Gramondi) *cum defuere amici familiares, Medici & ſuppellex omnis. Statim deſertum Luinæi limen, quiq; turmatim litaverant fortunæ adultæ, dum ſtabat, exſecrantur cadentem & abdicant. Quanta amicis fides, qui aulam ſequuntur! Nemo ambiget, dum munia Coronæ omnia, dum Eccleſia-*

ſtica

ſtica beneficia, publicamq́; ad libitum pecuniã diſtribuebat Luinæus, conciliaſſe ſibi largitione plerosq́;, quos inter vix duo morienti oculos claudunt, reliquis ejerantibus gratiam. Abbas Rousſelaius & Contadus mortuæ fortunæ litant, quod in aulâ rarum. Deficientibus ad juſta exſequiarum cereis, & ſyndone, ære illi ſuo comparant. Posſidebat, quæ in aulicum cadunt omnia, nec inventa in tantâ ſuppellectile carbaſus tumulando: in quo ſpirabant omnia, deſtituitur omnibus, exſpirat ſolus. O ſpectaculum! cui, (ſi Luinæi fortuna non ignorabitur) vix ſit fidem habitura poſteritas! fluxam aulæ fortunam! triſte humanæ vitæ ſpeculum! cui ſi ſe attentius introſpiciunt Aulici, ſpernent quæ tanti faciunt: honorem inſtabilem, familiarum decora, divitias & luxum. Memorat ibidem Gramondus, cum Burdigalam veheretur cadaver, non fuiſſe, undè merces ſolveretur fæminis, quæ viſcera Luinéi ſanie & tabe polluta laverant. Denique verò ſine omni ſplendore & apparatu agro, cui â Luinæo nomen erat, illatum cadaver. Quòd ſi porrò magnorum Aulæ miniſtrorum Svillii, Eſpernonii, Ornani, Basſompetri Mariliacorum, Villa Regii, Mazarini Card. aliorumque ejusmodi fortunam variam exponere vellem, ſub copiâ rerum laboraret oratio. De Duce tamen Suillio, poſt mortem Henrici magni, ſub quo theſauri curam geſſerat, officiis & honoribus ſuis valedicente, pretium operæ videtur, carmen hîc apponere, quod mihi in Galliis agenti amicus quidam ſuggeſſit. Eo Dux ille ærarium Regium ita alloquitur:

O Do-

O Domus! ò mihi bis senis arx amplius annis
Custodi regnata! ô invidiosa Monetæ
Templa valete Deæ! pertæsum mittite rerum
Et me privatæ securum reddite vitæ.
Ille ego sum, qui Regis opes, Regniq; capaci
Pectore complexus tenui, cui publica censu
Aucta novo certum debet fortuna tenorem.
Hactenus & justis constans rationibus arca
Infantis Domini. Curæ solertis honores
Præmiaq; ampla tuli: sub Rege potentia magno
Magna mihi crevit; simul hæc extincta cruento
Illius occasu cecidit, meaq; omnis eodem
Invidia extincta est fato, quâ sæpe minati
Exitium mihi non pauci, dum publica sector
Commoda, & unius Domini moror unus amorem,
Securus procerum, & popularis nescius auræ,
Propositiq; tenax. Tandem mala cura facesse,
Jam mihi stat navem tuto subducere portu.
Publica res, quid profuerim magè fortè carendo
Agnoscet, populiq; scient, tum gratia sera
Atq; odio succedet amor: sed gloria tanti
Non mihi sit fatis patriæ quæsita malignis.
Dii facite, ut regni constet fortuna, labare
Non illam videam, neque me desideret illa.

Sed cum Svillio hoc non adeò malè transegisse videtur fortuna, quæ non invitum â munere difficillimo & invidiæ plenissimo liberavit. Asperiùs eadem fortuna Henricum Momorantium habuit, quem inexorabilis justitiæ rigor sub Ludovico XIII. vi-

XIII. vitâ exuit. Antiquisſimâ is ortus familiâ, ſex Mareſchalcos Galliæ, quatuor Comites ſtabuli, omnes optimè de Galliâ meritos, inter majores ſuos numerabat. Conjugem duxerat ex illuſtri Urſinorum gente, Medicéæ familiæ innexam, ipſius Gallorum Reginæ neptem. Pro-Rex erat Galliæ Narbonenſis: maris præterea præfectus:(& cum id munus poſtea, juſſu Regio, cederet Richelio Cardin.) in compenſationem hujus, aliis haud exiguis à Rege proventibus donatus. Sed avitis jam opibus potens, magnis multorum clientum ſtudiis, ubique colebatur. Et Martiâ virtute egregiam ſibi apud omnes famam pepererat: multis præliis, & victoriis pulcherrimè de Rege & Regno meritus. Non effugêre hæc invidiam apud Aulicos, qui jampridem ægrè ſpectabant Viri decora ſuperbo Uxoris generi copulata. Sed viciſſet hæc omnia virtute ſuâ; niſi Matris Fratrisque Regii partibus ſeſe applicuiſſet, præcipuus tandem earum contra Regem & Cardinalem Richelium propugnator. Quibus deindè victoribus, ipſe in vincula datus, & Toloſæ, fruſtrà Fratre Regio, & præcipuis Galliæ Proceribus pro ipſo deprecantibus, anno 1632. 3. Cal. Novembr. capite plexus eſt. Multam pasſim commiſerationem Viri tanti tam immane ſupplicium, multa & ingenia ad teſtandum dolorem excitavit. Inter alia Epitaphium Gallico ſermone cum in Galliâ eſſem, circumlatum vidi, quod etſi facinus ejus aliquantum

tum

tum elevare videatur, quia tamen fragilitatem humanam inculcando, ad argumentum noſtrum facit, Latinè à me Verſum hîc lubet apponere. *Diſce viator, inter rerum humanarum incerta nihil certum te habere, quàm mortem. En ſepulchrum hoc præbet Tibi exemplum. Continet id Henrici Mommorancii cineres. Nomen viri arguit nobilitatem ſanguinis, vita fortitudinis merita, mors inconſtantiam fortunæ. In genere ipſius expendenda Regii ſanguinis vincula, in fortitudine victoriæ terrâ mariq; partæ, in fortunâ, ambigua cuivis ante mortem felicitas. Autores generis primi Fidem plantârunt in Galliâ. Succeſſores eandem ſangvine irrigârunt, ipſe ſuo defendit. Poſtremò ille Carnificis manu vitam, ſupplicio ſuo familiam finiit. Facinore multos pares, pœnâ paucos habuit. Unici fratris Regii querelis aures, manus ejusdem ſervitio præbuit. Aliud ſeculum ignoſcendo ipſi quæſiviſcet gloriam, noſtrum, puniendo quæſivit. Accuſa magis fortunam, quàm actionem ejus, & ſi miſericordia tibi dolorem excitat, cave eum lingva aut oculi oſtendant. Benè precare, & abi.* Communicatum quoque tum mihi ab amico epigramma, quod alludebat ad ſtatuam Henrici IV. extantem in areâ Tholoſanâ, in quâ filius Henrici Magni Ludovicus XIII Mommorantium decollari juſſerat. Verba carminis, quod juveni mihi recitavit amicus, jam quidem exactè non memini, cæterùm ſenſum habebat talem:

Ad Patris ſtatuam, Nati implacabilis irâ,
Ante diem indignâ morte manuq; cado.
Illorum ingemuit neuter, mea fata videndo;
Ora Patris, Nati pectora marmor erant.

CAPUT

CAPUT XII.

Vices Ministrorum Aulicorum in Angliá, Thomæ Mori. Volsei. Essexii. In Sveciá Theodori. Georgii Petri.

SEd tempus est, ut ex Galliâ in Angliam trajiciamus, insulam multâ cæli sui terræq; benignitate felicem, sed eandem variis paritèr mutationum quasi fluctibus obnoxiam. Oceano similem dixeris, quo circumluitur. Nolo hic Regum, qui istic variâ fortunâ regnârunt, refricare casûs. Nam jam alibi nonnullorum mirabiles memoravi vices, & quis omnium referre queat? Intra Aulicos jam subsisto, & horum etiam nonnisi paucos aliquot attigisse satis erit. Inter paucos verò hos non possum reticere Thomam Morum, etsi fato ejus nihil vulgò notius esse videatur. Sed Divina hominis Virtus â fortunâ in terris malè habita meretur, ut in ore posteritatis perpetuò versetur. Is vir quali ingenio fuerit ex paucis, quæ post se reliquit, scriptis colligi potest, cognosci autem perfectissimè ex Erasmo, qui ab Hutteno Equite Franco rogatus, vivis coloribus virum totum depinxit. Sed breve jam nobis elogium sufficiat, quo idem hic Erasmus Morum in epistolâ ad Richardum Vitfordum Britannum scriptâ commendat: *Non arbitror*, inquit, *nisi me vehemens in illum*

fallit amor, unquam naturam finxisse ingenium hoc uno præsentius, promptius, oculatius, argutius, breviterque, dotibus omnibus absolutius. Et oportuit utique magnum ingenio & virtute fuisse, qui ad Cancellarii dignitatem in Angliâ, viris summis tùm abundante, pervenerit. Felix judicari poterat, quem non tam fortuna, quam virtus singularis tanto in culmine videbatur posuisse. Felix quoque Anglia, cujus consilia & negotia potissima in tanti viri dexterrimâ prudentiâ innitebantur. Neque facilè equidem ulla res prosperos ejus successûs turbâsset, si Dominum habuisset, æquè ut ipse erat, virtutis & conscientiæ reverentem. Sed iste ut amoribus inhonestis indulgebat, ita iisdem ab aliis volebat applaudi. Atque inprimis legitimæ uxoris repudium, quod non aliâ ex causâ Regi placuerat, quàm ut alii magis adamatæ locum faceret, â præcipuis Ministris & Consiliariis approbari jubebat. Quod cum facere per conscientiam se non posse diceret Morus, carceri primùm includitur. Nimirùm ita hominis animus sperabatur molliri posse, ut libertatem corporis libertati animi ac honesto præferret. Perstat ille in sententiâ, etsi eam capitalem sibi fore intelligeret. Non movêre virum minæ, non movêre carissimorum etiam capitum blanditiæ. Ferunt filiam, puellam egregiis animi corporisque dotibus præditam, & ipso Patre magistro bonis literis non vulgariter imbutam, illi è carcere ad supplicium prodeunti, occurrisse ali-

quoties,

quoties, ut moriturum amplexaretur. Ille miserrimè ejulantem Christianissimis solatiis erigit, ipse immotus,& de capite suo non magis solicitus, quam si de alieno ageretur. Atque ita paulò post, inter ardentes pro ipso etiam Rege & Ministris ejus, etsi ipsi adversis, preces, innocens collum securi, Orbi universo æternum invictæ constantiæ exemplum præbuit. Illi ævo compar,moribus dissimillimus fuit *Thomas Volsæus*. Is lanio Patre natus,animum genere dignum in summis honoribus servavit. Pro virtute ei fortuna fuit, quæ cor Regis & in eo omnia homini prona ac pervia fecit. Ex Sacellano Regio Licolniensem primùm, hinc Eboracensem Antistitem, mox & Cancellarium Regni, & denique Cardinalem vidit Anglia, sed eundem etiam tantis dignitatibus superbissimè vidit abutentèm. Nullus splendor fastum ejus, nullæ opes avaritiam explere poterant. Amores subindè mutantiRegi turpissimè adulatus,eò excrevit, ut altius non posset. Tum deniqúe fastidium in amoribus Regium, cui hactenùs serviverat, ipse malo suo experiri cæpit.Nam paulò post Henricus, ut ostenderet omnem istam hominis fortunam suæ manûs figmentum esse, nec nisi quamdiu ipsi placitum esset, splendere posse, uno momento hominem omnibus ornamentis exuit,tandemque carceri inclusit: fortè nec majora effugiturum, nisi in itinere dum Londinum duceretur, animam efflâsset. A Volsæo ad *Essexium* Comitem pergo.

Quantus ille ſub Henrico, tantus hic ſub filiâ Henrici Eliſabethâ fuit. Sed genus huic illuſtre & & Regiæ ſtirpi aliquomodò innexum, dignasque porrò natalibus virtutes à primâ juventâ exeruerat. Magnum quoque decus & robur à matrimonio habuit, quippè Leiceſtrium adeptus ſocerum, à quo Reginæ commendatus, eo denique gratiæ procesſit, ut omnes Aulicos familiaritate Reginæ anteiret. Ordini Georgiano & ſanctiori conſilio 23. ætatis anno inſertus eſt; præfectus item exercitibus, nullis, quantumvis ſiniſtris, bellorum ſucceſſibus favorem Reginæ amiſit. Cæterùm cum & hanc & in eâ fortunam ipſam jam posſidere ſibi videretur, ſubiêre vitia felicitatis, contemptus & oppresſio aliorum. Populi militumque favori enixius ſtuduit, quàm ſolent, qui Principibus ſuſpecta eſſe norunt ingenia nimiùm civilia. Denique in ipſam quoque Reginam contumax, nec poſt leviores caſtigationes melior, imò efferatus magis, cum multùm clientum numero & plebis ſtudiis fideret, apertè conſilia coquere cæpit, adverſus ſtatum præſentem, obtentu potentiæ adverſariorum ſuorum, quam, ut intolerabilem ſibi, vellet accîdere. Sed antequam matureſceret nefaria machinatio, enotuit: captusque cum ſociis Eſſexius judicio ſiſtitur, cogitati ſceleris convincitur, veniam tamen apud Reginam, veteris benevolentiæ adhuc tenacem, reperturus, ſi quærere voluiſſet. Sed ille neſcio quâ horribili pertinaciâ cle-

clementiam ſprevit, imò dicere eſt auſus, *ſe jam ſine pernicie Reginæ vivere non poſſe.* Monſtrosâ hâc obſtinatione irritata Princeps ſuo illi olim delicio, illi adeò ab omnibus adorato fortunæ pullo, caput ſecuri juſſit præcidi. Si Danorum porrò, ut & Svecorum excutere annales luberet, multa etiam illius aulæ ludibria afferri poſſent. Inter alia Theodorus occurreret, quem Chriſtiernus Daniæ Rex de tonſore Legatum ad Pontificem, poſteà Præſulem Lundenſem, poſt Scarenſem, tandem & Pro-Regem Sveciæ fecit. Sed cùm ex obſcuro ad tantam dignitatem elatus, ſuperbè & crudeliter egiſſet, Regno Svecico ejectus, Haffniæ poſteà ad ignem damnatus & exuſtus eſt, ut Ioannes Loccenius refert lib. IV. hiſt. Suec. Notabile quoque eſt quod Georgio Petri in Sueciâ contigit. Is Erico ab epiſtolis cum eſſet, omnia apud eum poterat, præcipuus libidinum & flagitiorum ejus adminiſter. Ericus deinde à fratribus ſuis Joanne & Carolo, tum affine etiam Magno Saxone intra Regni metropolin obſeſſus, Miniſtrum illum hoſtibus dedit, hâc quaſi victimâ hos placaturus. Ad caſtra deductus Georgius duabus rotis circumquaque tractus, præciſis auriculis & ad furcam adfixis, ipſe etiam vivus per horam in patibulo pendens, gratum militi ſpectaculum præbuit, & inde depoſitus, cruribus ac brachiis rotâ contuſis, poſtremo in quatuor partes diſſectus eſt, ut refert Jac. Aug. Thuanus lib. 43.

CAPUT XIII.

Vices Ducum & Miniſtrorum Aulicorum in Poloniâ. Scarbimiri. Toporovii, Dunini. Sboroviorum, Corecii, Zolkievii, Ducum Moldavorum.

PEregrinas hactenùs pervagati aulas, minimè ſanè Polonicam præterire debemus. In hac equidem paulò minùs fortunæ in Purpuratos videtur licere; quia non eſt ibi ea Regum poteſtas, ut facilè ſola, arbitrio ſuo, infelices reddere poſſit. Non damnat hic Rex quenquam Nobilium, niſi legibus interrogatum & de Procerum ſententiâ condemnatum. Nemo itaque facilè perit, niſi multorum calculo dignus judicatus, ut pereat. Sed antiquioribus tamen ſeculis, ut minus circumſcriptum erat Principum gubernamen, ita plura Aulicorum naufragia. Sub Boleslao Crivouſto ſumma Scarbimiri Palatini Cracovienſis potentia & autoritas fuit: parta ipſi tùm dexteritate ingenii, tùm rebus domi foriſque bellè geſtis. Sed fortunâ ſuâ ebrius, principis gloriæ ſuam antehabuit: nimius oſtentator facinorum ſuorum, alienorum obtrectator; Inque Principem ipſum obliqvus & contumax, tandemque in apertam rebellionem erupturus, niſi à Principe fuiſſet præventus

ventus. Hic hominem & honoribus cunctis, & denique oculis privavit: & ut tanto major labes reo inureretur, dignitas ipsa, quam gessit, imminuta. Nam ex eo tempore solus in Poloniâ Palatinus Cracoviensis Castellano suo semper posterior est. Sub Patre Crivousti multum Secechi Toporovii virtus enituerat: & ipsi Crivousto adolescenti rector datus, strenuè eidem ad præclaras res edendas præivit. Sed ambitione postea & Crivousto & fratri ejus Sbignéo exosus redditus vim extremam non effugisset, nisi Pater principum Vladislaus, bello quodammodò cum filiis suscepto, hominem defendisset. Jam Petri Dunini quæ sub Vladislao secundo Crivousti filio fuit fortuna? Is ex Daniâ oriundus, singulari morum elegantiâ prudentiaque animi Crivoustum supra modum sibi devinxerat: ejus benignitate ad opes & Comitatum Scrinnensem evectus. Et derivatus ex Patre in filium favor est, adeò ut apud Vladislaum II, Crivousti primogenitum non minùs in deliciis esset. Sed Principis conjugem Christinam adversam habuit, eo quod subindè Principem cum fratribus suis, quos Christina persequebatur, conciliare niteretur. Accessit liberius dictum, quo proniorem Christinæ erga Dobessum quendam perstrinxerat affectum, Principis joco provocatus, quippè qui prior uxori Petri inhonestam cum Abbate Scrinnensi familiaritatem objecerat. Christina à marito de Petri facetiâ admonita, Dobessum subornat, qui

hominem captum in Aulam adduceret: & mox marito persvadet,ut catpo oculos effodi,lingvamq; præcidi juberet. Sed ad recentiora tempus ipsum nos invitat. In quibus primùm delibabimus, quæ parentum nostrorum memoriâ in duobus nobilissimæ familiæ viris contigerunt. Ambos magnitudine animi insignes diversa causa abripuit, alter enim miserè ob cædem Senatoriam, alter in bello Turcico bis captus, gloriosè interiit. Prior est Samuel Sborovius, vir ut genere, sic animo magnificus. Avis natus, qui primis in Poloniâ functi fuerant honoribus. Fratres habebat plures. Quorum unus Palatinus Cracoviensis, alter Mareschalcus Regni, tertius Castellanus Gnesnensis & militiæ Aulicæ præfectus erat. Ipse ingenio manuque acer, nihil mediocre pariter spirabat sperabatque in Republ. Sed obstruxit luminibus suis nimio in æmulos odio atque impetu iræ, quâ percitus Vapovium Castellanum Premisliensem occidit, factus ita & infandæ cædis & læsæ Majestatis reus. Quippè in coronatione Henrici Regis, nec procul à palatio & Rege ipso facinus patraverat. Quarè debitum capitis supplicium ut effugeret, in Ungariam secessit. Ibi cum esset, cum Stephano Batoreo noticiam contraxit, eique inter primos autor fuit suscipiendi Poloniæ Regni, quod tùm abitu suo Henricus Valesius capite orbaverat. Et potitus voto est Stephanus, fratribus Sborovii strenuam ei apud Ordinem Equestrem

navan-

navantibus operam. Sed hi poſtea ſua erga Regem merita ferocius oſtentando pro gratiâ odium retulerunt, periculoſo inprimis certamine cum Zamoſcio commiſſi, quem potiori apud Regem loco eſſe indignè ferebant. Samuel Regis novi gratiâ fretus, ventitabat ſubindè in Poloniam, quâ interdictum ei erat, & inter ſuos verſari liberius, denique etiam, cum à Rege Samoſcium præ Zboroviis foveri intelligeret, in Regem loqui cæpit intemperantius. Quæ res ei tandem capite conſtitit. Rex enim ferociæ Sborovianæ impatiens, Samoſcio ſeu mandavit ſeu permiſit, ſeverâ cum proſcripto lege agere. Is itaq; Præfectus Cracovienſis cum eſſet, jure ſuo uſus, Samuelem non procul tùm Cracoviâ inter ſuos pergræcantem comprehendi, nec multò poſt capite multari jubet. Ita iſte male dicere deſiit Regi, & Samoſcio, at non deſierunt fratres ac cognati, quorum ingens & numerus & potentia erat. Sed & hi denique ſenſerunt difficilem cum Principe luctam eſſe. Nam & fruſtrà induſtriam fatigârunt, opesque attriverunt: & unus eorum Chriſtophorus cæteris acrior vix effugit, quin fratri, cujus vindicias ſpirabat, pari ſupplicio parentaret. Venio jam ad alterum Samuelem Ducem Corecium, extra Patriam ſuam & in meliori causâ infelicem. Hic antiquis Lithuaniæ Ruſſiæque Ducibus progenitus, animo indomito ſumma omnia â teneris unguiculis agitabat. Et datis fortisſimæ indolis ſpeciminibus non ſuam tantùm gentem, ſed vici

nas paritèr in sui admirationem arrexit. Inprimis virtutem ejus suspexit Jeremias Muldaviæ Princeps, adeò ut filiam ei suam locaret. Offensus tali Jeremiæ in Polonos affectu Turcarum Tyrannus misso exercitu hominem Muldaviâ suâ expellit. Restituit eum Corecius, à Michaële Duce Visnovecio altero Jeremiæ genero, aliisque Russiæ proceribus adjutus. Sed restitutum paulò post vita destituit: filium relictum Turcæ denuò invadunt ejiciuntque, translato in Tomsam Moldaviæ Ducatu. Arma iterùm capessit Visnovecio sociatus Corecius, & mox Visnovecio, ferventibus jam armis, mortuo, solus ille Tomsam impugnat, prælioque vincit. Sed labentem Tomsæ fortunam duo Bassæ Turcici excepêre, & valido exercitu Polonos aggressi, victoriâ potiuntur, ipsumque Corecium ab aliis jam ferè desertum, sed vehemente illo, quo agebat omnia, spiritu, hosti & fortunæ suæ cum paucis adhuc obnitentem capiunt, mittuntq; Constantinopolin. Ibi cum ad festivam triumphi pompam quæreretur, miro fati favore absconditus, effugit ludibrium, & paulò post Græci cujusdam astutiâ è captivitate liberatus, in Italiam, atque indè in Patriam rediit; totus adhuc arma & vindictam de Turcis sumendam spirans. Cumque diu occasionibus magnâ impatientiâ inhiâsset, tandem Stanislaum Zolkievium virum fortissimum in Moldaviam malo suo fato secutus est. Hîc enim exercitus Polonus ab ingenti Turcarum ac Tartaro-

rum multitudine circumdatus, & quod pessimum, à Duce & seipso discors, Cannas reperit; Dux supremus Zolkievius cæsus, Stanislaus Coniecpolscius captus, captus & Corecius noster, ac Constantinopolim deductus est. Sed Coniecpolium post triennalem captivitatem Zbarasiana liberavit legatio; Corecius Dux, quod antea custodum industriam dolo eluserat, ne eluderet iterùm arcto & ærumnoso carcere diu afflictus, ac denique strangulatus est. Non aliter nimirùm se Turcæ ab hoc Leone tutos esse putârunt, quàm ubi mortuum vidissent. Factâ jam Moldaviæ mentione, non alienum esset, fato principum ejus terræ, utpotè Regno Polonico vicinæ, olim etiam prorsûs innexæ, paulò diutius immorari. Et nulla profecto ditio est, ubi æquè crebris mutationibus sibi ludos faciat fortuna. Sed rudis literarum natio non habuit nec habet ingenia, quæ sortem Principum suorum, cumque iis Provinciæ ipsius exponant. Polonici scriptores subindè de iis aliquid annalibus suis aspergunt: quia non pauci etiam Ducum seu Palatinorum ejus Provinciæ, & autoritate Polonorum instituti & armis restituti fuerunt. Miras certè Ivoniæ, Constantini Mohilæ, Bogdani, Alexandri, Tomzæ, Gratiani legimus vices. Et quæ his temporibus inter Basilium Lupuli, & Logofetum certamina luctæque fuerint super Principatu, ex famâ constat. Mihi alibi hæc non transeunda, hoc loco jam latius persequi non est animus:

animus: quia procerum ac Aulæ Ministrorum, quales recensere cæperamus, fortunam excessisse videntur illi Duces, & casûs eorum totas provincias implicuêre. Tales autem vicissitudines ad illarum mutationum classem pertinent, quibus non tam singuli homines, quam totæ hominum societates sunt obnoxiæ.

CAPUT XIV.

Vices in Societate domesticâ ex variis causis. Familiarum prælustrium interitus.

SOcietates cum sint multifariæ, primaria tamen, & cæterarum velut Mater domestica est, quâ intra unius familiæ limites liberi & Parentes, Domini & servi, & omnia quæ communi istorum curâ operaq; aut aliis modis parta sunt, comprehenduntur. Hujus uti progenies, sic complementum est societas civilis, quæ multarum familiarum cætûs in unius pagi, Civitatis, provinciæ, Reipubl., Regni, Imperiive consortium colligit, certisque legibus devinctos regit. Cum quâ nexu indissolubili cohæret Ecclesiastica, homines vinculo Religionis, quo nullum arctius sanctiusque est, connectens. Quam comitatur Scholastica, cæterarum quoddam quasi seminarium, homines liberalium studiorum communione socians. Nobis singulas istas societates oculo saltem tralatitio fas

sit

ſit luſtrare: ut quam omnes illas communis rerum humanarum alea verſet, clariùs appareat. Ac primùm domeſticam videamus. Quæ quia paucorum Capitum plerumque eſt, fortè caſuum varietatibus minùs videri queat opportuna. At experientiam ſi conſulas, non alium variabiliorem reperies campum. Eſt, ubi thori fæcunditas, docile liberorum ingenium; & optati eorundem in virtute ac honeſtis laboribus progreſsûs delectant animos. Lætitiam pariunt occupationes quotidianæ & opera manuum noſtrarum, ubi ea favor cæleſtis quaſi ferente vento videtur provehere. At quâ in domo gaudia iſta ita mera & illibata ſunt, quin aliquo triſtitiæ quaſi felle admixto ſubindè amareſcant? Quis enim caſuum domeſticorum inire numerum, aut percenſere genera posſit? Num rarò evenit, ut orto incendio domus conflagret, ut fur parietem perfringat aut ſuffodiat, ut fidem fallat debitor, ut greges & armenta contagio invadat, ut ſementem, meſſemve aut villicus malè adminiſtret, aut aëris inclementia corrumpat? Jam quas ſæpè nubeculas animis vicinorum importunitas offundit? quas ſobolis & familiæ regimen faceſſit moleſtias? Quoties accidit, ut liberi degenerent? Quod ſi domeſtici etiam omnes officium faciant, quas curas tamen creant iidem, cum morbis detinentur, adeoq; nec ſuam nobis ritè navare operam poſſunt, & noſtras curas multis ſubindè querelis gemitibusque interpellant? Quod ſi porrò earum aliquod atque utile

utile membrum domûs, vel ipſum Caput morte abripitur, quanta illicò animorum, quanta rei ipſius familiaris oritur metamorphoſis? Sed ipſa illa mors nonne totas quoque ſtirpes & familias, ſi non uno ictu, at minutatim tamen & quaſi carpendo auffert? Nec iſtas tantum proletarias, ſed ſplendidas & vetuſtis majorum imaginibus gloriaque fulgentisſimas. Adeò ut quæ antea multâ egregiorum facinorum, multâ & honorum luce in illuſtri Reipubl. theatro, nituêre, proſapiæ, poſtea deficiente ſobole, prorsùs extingvantur, & ſolâ in memoriâ hominum aut fide annalium vivant vigeantque. In ipſo hoc nobilisſimo Poloniæ Regno quot extinctarum præluſtrium familiarum numerare poſſem cadavera? Ubi enim jam Zbaraſcii, Oſtrogii, Zaslavii, Prunſcii, Korecii? Ubi Tęczynii, Kmitæ, Gorcani, Rithvani, Huiſcii? Ubi Doroſtaiſcii, Krzepicii, Gamrati, Gaſtoldi, Rzeſzovii, Cemæ, Jaslovecii, Strusſii, Curoſvancii, Schidlovecii? Ubi alii, quos longa referre mora eſt? Certè ipſe hic adeò & multarum & illuſtrium familiarum interitus jamdudùm viris prudentibus inſignem aliquam in ipsâ quoque Republ. mutationem viſus eſt portendere. quanta jam terræ huic incubet, commemorare nec licet, nec neceſſe eſt. Nimis enim omnium oculis res ea, fervente cum maximis hoſtibus bello, eſt expoſita: & nihil aliud ubique jam cuncti, vel audimus, vel loquimur. Alioquin utique vel ſola hæc rerum noſtrarum metamorphoſis multas nobis

bis jam paginas implere posset, & prælustre nobis omninò documentum præberet rerum vicissitudinis, cui maxima etiam Regna sint obnoxia. Sed hanc materiam supra cap. VI. libavimus, & porrò jam aliquot exemplis illustrabimus.

CAPUT XV.

Vices Rerumpubl. Judaicæ, Romanæ, Prussiæ.

IPsâ rerum serie monemur ab angustioribus Domuum familiarumque spaciis ad augustius Civitatum Rerumque publicarum theatrum transgredi. Enimverò hîc demum in ipsissimum mutationum ingredi videor Oceanum. Quod enim Imperium tam statæ tranquillitatis est, ut non incrementorum simul & decrementorum vices sentiat? Ut nullæ res mortales magnam illam & se perpetuò circumagentem fortunæ rotam evitare possunt, ita minimè evitare possunt Respublicæ. Versat illas inevitabilis fatorum vis, versat vis externa, versat interna tam Regentium quàm Subditorum vitiositas. Sed & in ipsis quoque illis, ceu automatis quibusdam, latet nescio quid occultum, quod eas perpetuò mobiles facit, & aut ascendere aut descendere cogit. Ita aut nulla iis, aut non diuturna quies datur, etiam cùm ad summum pervenisse videntur. Solem in Auges signo ultrà momentum stare posse negant: ita Imperiis Regnisq;

vix

vix aliquantillum in faſtigio datur conſiſtere. Benè Paterculus: *Difficilis in perfecto mora eſt; naturaliterq; quod procedere non poteſt, recedit.* Et Seneca Pater: *Fati maligna perpetuaq; in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta rurſus ad infimum velociùs quidem quàm aſcenderunt, relabantur.* Illuſtr: Savedra ſagittæ ſimilitudine rem adumbrat, quæ aut aſcendit aut decidit, in ſtatu nunquam manet. Ipſa illa ſanctisſima Judæorum à Moyſe inſtituta Respublica, quas quæſo mutationes ſubiit? Quàm pulchrè illa ſub Joſuâ aliisque nonnullis Judicibus effloruit? Sed quibus ſubindè quoque vicinorum contumeliis vexationibusque fuit obnoxia? DEO identidem hoſtes immittente immorigeris, ut ad reſipiſcentiam ſui oblitos revocaret. Abiit deindè hæc Reſpubl. in Regni formam, & ab uno Capite gubernari cæpit. Sed diune ſic quoque in tranquillo manſit? Egregium juventæ florem Saulus ei addidit, robur virile David, divitias & pacis fertilitatem Salomon. At ſub filio ejus Roboamo pulcherrimum illud corpus in fruſta diſcerptum, & mutuis poſtea colliſionibus ita fractum ac debilitatum eſt, ut tandem Regum externorum potentiæ cervices neceſſe habuerit ſubmittere. Poſtremò denique, cum in miſſum cœlitùs Servatorem, & ejus aſſeclas atrocisſimè ſæviiſſet, tota penitus concidit, metropoli Hieroſolymâ per Titum Veſpaſianum everſâ, & Templo ſplendidisſimo, religionis Moſaicæ præcipuâ hactenus ſede, fundi-

tus

tùs excifo. Præcefsêre hanc antiquisfimæ & DEO olim unicè dilectæ tùm Urbis, tum Reip. ruinam omnis generis flagitia, permittente fato, ut quæ in perditionis præceps ruebat, mereri omninò, & fuo fibi jumento accerfere videretur interitum. Arduum fuerit, omnes fcelerum colores exprimere, & fusè fatis defcripti funt à Jofepho, homine Judæo, finceroque fatis narratore earum rerum, quarum ipfe pars magna fuit. Cæterùm, erat eo tempore ingens ibi religionis confufio, regimine facrorum extra cancellos fuos errante, & plerumque venali. Atque id porrò pravis, & utplurimùm inter fe diffonis interpretum legis, Pharifæorum, Sadduceorum, Scribarum detorfionibus pervertebatur. Venienti cælitùs Magiftro Veritatis, DEI filio præcludebantur aures, divinisfimis ipfius miraculis negabatur fides, beneficiis odia, calumniæ, blafphemiæ, perfecutiones rependebantur, extremum deniq; fupplicium mortis, fummè atrox, fummè ignominiofum innocenti, & falutem omnium ardentisfimo ftudio quærenti, infligebatur. In Difcipulos quoq; ejus, quantumvis vi Divinâ pariter miranda patrantes fæviebatur flagellationbus, carceribꝰ, lapidationibꝰ. S. Jacobus frater Chrifti, Epifcopus Hierofolymæ, vir omnium bonorum confenfu juftisfimus, de faftigio templi præcipitabatur. Nec S. Paulus Apoftolus fuprema ibi effugiffet, nifi ad Cæfaris tribunal provocaffet. Porrò Civile etiam

regimen ibidem omnimodè vacillabat. Romano Imperio non aliâ ratione parebatur, quàm quia arduum & periculosum erat, resistere. Interim non cessabant plerique quærere rimas, per quas illâ servitutis, ut interpretabantur, caveâ elaberentur. Herodis Ascalonitæ sævissimam experti erant dominationem, & tamen non pauci eum, ut futurum Judaicæ libertatis vindicem suspicere cæperant. Nec erga posteros ejus, etsi minus potentes, defuêre studia: & eò magis intendebantur, quoties aliquis illorum in Christi Domini asseclas stringebat gladium. In Præsides Romanos obliqui penè omnium animi, subinde & in Seditiones ac latrocinia, intra & extra Urbem, Ducibus variis, erumpebant. Et illi ipsi præsides plerumque cumulandis magis nummis, quàm exercendæ justitiæ invigilabant. Sic & legum, in turbido semper stato obtusa acies, auxilium utique invalidum erat. Quid mirum, si tali rerum facie, omnium scelerum colluvies, & scelerum denique merces panoletria urbis & Reipublicæ secuta est? Deo iram suam in perditissimæ gentis flagitia eò cumulatiùs effundente, quò pluribus ante beneficiis singularem curam & benevolentiam illi erat testatus.

Jam ipsa illa Judaicæ Reipubl. vastatrix, & deletrix, *Terrarum Dea, gentiumque,* ROMA an immunis fuit ab hac mutationum aleâ? quàm illustribus victoriis proximas primùm gentes, mox Italiam totam, & denique Orbem penè universum per-

perdomuit? Sed quot clades quoque interpellavêre identidem felicitatis & victoriarum ejus cursum? Nonnè Gallorum aliquandò gladio mactatus istic Senatus? nonne urbs tota igne ac ferro miserrimè vastata est, &, ne aut nulla esset, aut perpetuùm serviret, uni civi suo debuit Camillo? Annon postea Annibal aliquot annis Italiæ incubuit? Nonnè idem Trebias, Thrasymenum, Cannas plurimo Romanorum sangvine nobilitavit? nonnè ipsas propemodum Romæ portas hostili ferro pulsavit aliquoties? Ipsa autem forma regiminis quoties istîc mutata est? Optimè omnium, brevissimèque id nos magnus docet Tacitus; qui sic Annales suos orditur: *Urbem Romam â principio Reges habuere: Libertatem & Consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neq; Decemviralis potestas ultra biennium, neq; Tribunorum militum Consulare jus diu valuit. Non, Cinnæ, non Syllæ longa dominatio, & Pompeji Crassiq; potentia cito in Cæsarem, Lepidi atq; Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine principis, sub imperium accepit.* Quot Tyrannos potiùs sequentibus deinde, annis quàm Imperatores passa est? Quibus calamitatibus, quid in servitute extremum esset, experta fuit? Quâ bonorum malorumque vicissitudine tandem eò devoluta est, ut barbararum gentium, Gothorum, Vandalorum, Longobardorum spolium ac præda fieret, DEO ulciscente crudelitatem, quâ in fide-

les Filii ſui aſſeclas multis ſeculis deſævierat. Sed ut propiora non prorſus intacta relinquam, nonnè hæc ipſa Prusſia multas variasque experta eſt periodos? Gravisſimis certè olim incurſionibus Lithvanorum concuſſa, & denique â Boleslao primo Polonorum Rege ad qualemcumque tributi tolerantiam redacta fuit. Poſtea ſibi iterùm reddita, gravis eſſe cæpit Maſoviis. Hi verò ſuæ ſibi defenſioni impares adſcivêre Cruciferos: quorum armis diu afflicta hæc terra, tandemque ſub jugum quodammodò miſſa eſt. Quod cum illa longisſimo annorum tractu tolerâsſet, tandem Urbes majores, & his juncti nobilium ordines Caſimiri III Polonorum Regis potens patrocinium amplexi, in hanc, quâ hodiè gaudet, Politiæ formam, magnâ laborum calamitatumque bellicarum patientiâ, auſpicibus Ducibusq; Poloniæ rectoribꝰ, ſeſe aſſeruêre. Quas dein Terra hæc orto ſuperioribus annis bello Svetico *vices* ſubierit, multi meminêre: quas & nunc denuò, fatis urgentibus, ſubeat, omnes videmus. Adderemus hîc, loco corollarii, mutationes Belgicas, niſi eæ â magnis ſcriptoribus traditæ, paſſim ab omnis coloris hominibus legerentur.

CAPUT XVI.

Migrationes gentium. Mutationes lingvarum. Morum & bellorum vices.

Cæte-

CÆterùm cùm ad publicum Provinciarum Regnorumque Statum migrationes gentium plurimùm habeant momenti, eas quoq; non omninò præterire oportet silentio. Sed copiosum hoc argumentum est, & magnis id libris Viri insignes percoluêre. Cumq; multa dixerint, plura tamen aliis dicenda reliquêre. Quod si autem aliquem breviter succinctèq; de eo dicentem audire lubet, audiatur Seneca. Cujus locum etsi longiusculum ex libro ad Helviam Matrem non pigebit adscribere.

„*A cælestibus*, inquit, *te ad humana converte. Videbis*
„*gentes populosq; mutasse sedem. Quid sibi volunt in me-*
„*diis Barbarorum Regionibus Græcæ Urbes? Quid inter*
„*Indos Persasq; Macedonicus sermo? Scythia & totus ille*
„*ferarum indomitarumq; gentium tractus Civitates Achajæ*
„*Ponticis impositas littoribus ostentat. Non perpetuæ*
„*hyemis sævitia, non hominum ingenia ad similitudinem*
„*cæli sui horrentia transferentibus domos suas obstiterunt.*
„*Atheniensis in Asiâ turba est. Miletus LXXV. urbium*
„*populum in diversa effudit: totum Italiæ latus quod infero*
„*mari alluditur, major Græcia fuit. Tuscos Asia sibi*
„*vindicat. Tyrii Africam incolunt. Hispaniam Pæni,*
„*Græci se in Galliam immiserunt, in Græciam Galli, Pyre-*
„*næus Germanorum transitus non prohibuit. Per invia*
„*per incognita versavit se humana levitas. Liberos, conju-*
„*ges & graves senio Parentes traxerunt: Alii longo errore*
„*jactati, non judicio elegerunt locum, sed lassitudine proxi-*
„*mum occupauerunt. Alii armis sibi jus in alienâ terrâ fe-*
„*cerunt. Quasdam gentes cum ignota peterent, mare hau-*

,,sit; quædam ibi consederunt, ubi illas rerum inopia depo-
,,suit. Nec omnibus eadem causa relinquendi quærendiq; Pa-
,,triam fuit. Alios excidia Urbium suarum, hostilibus ar-
,,mis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt. Alios do-
,,mestica seditio submovit: alios nimia superfluentis populi
,,frequentia ad exonerandas vires emisit: alios pestilentia,
,,aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda in-
,,felicis soli vitia ejecerunt, quosdam fertilis oræ & in ma-
,,jus laudatæ fama corrupit: alios alia causa excivit domi-
,,bus suis. Illud itaque est manifestum, nihil eodem loco
,,mansisse, quo genitum est. Assiduus humani generis
,,discursus est. Quotidiè aliquid in tam magno orbe mu-
,,tatur. Nova Urbium fundamenta jaciunt: nova gentium
,,nomina, extinctis prioribus, aut in accessionem validioris
,,conversis, oriuntur. Omnes autem istæ populorum trans-
,,portationes, quid aliud quam publica exilia sunt? Quid
,,tam longo te circuitu traho? Quid interest enumerare
,,Antenorem Patavii conditorem, & Evandrum in ripâ
,,Tiberis Regna Arcadum collocantem? Quid Diomedem
,,aliosque, quos Trojanum bellum victos simul victoresq; per,
,,alienas terras dissipavit? Romanum Imperium nem-
,,pè autorem exulem respicit: quem profugum captâ Patriâ,
,,exiguas reliquias trahentem necessitas & victoris metus
,,longinqua quærentem in Italiam detulit. Hic deindè po-
,,pulus quot colonias in omnes Provincias misit: ubicunque
,,vicit Romanus, habitat. Ad hanc commutationem loco-
,,rum libenter nomina dabat, & relictis aris suis trans maria
,,sequebatur colonus senex. Res quidem non desiderat
,,plurium enumerationem; unum tamen adjiciam, quod

,,*in oculos se ingerit. Hæc ipsa Insula sæpè jam cultores ,,mutavit. Ut antiquiora quæ vetustas abduxit, Phocide ,,relictâ, Graji qui nunc Massiliam colunt, prius in hac In-,,sulâ consederunt. Ex quâ quid eos fugaverit, incertum est. Utrum cæli gravitas, an præpotentis Italiæ conspectus, an natura importuosi maris? Nam in causâ non fuisse feritatem accolarum eo apparet, quod maximè tunc trucibus & inconditis Galliæ populis se interposuerunt. Transiverunt deindè Ligures in eam, transierunt & Hispani, quod ex similitudine ritûs apparet. Eadem enim tegumenta capitum, idemq; genus calceamenti quod Cantabris est, & verba quædam. Nam totus sermo conversatione Græcorum Ligurumque â patrio descivit. Deductæ deindè sunt duæ Civium Romanorum coloniæ: altera â Mario, altera â Syllâ. Toties hujus aridi & spinosi saxi mutatus est populus. Vix deniq; inuenies ullam terram, quam etiam nunc indigenæ colant. Permixta omnia & insititia sunt: alius alii successit. Hic concupivit, quod alii fastidio fuit. Ille unde expulerat, ejectus est. Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam.* Hactenus Seneca, quem per majorem Orbis partem nos circumducentem sequi non piguit. Cæterùm non loca tantùm mutant populi, sed subindè etiam linguas, habitum, & multò magis mores. Romani profectò haud paulo aliter Tarquiniorum ævo, aliter Catonis, aliter Augusti temporibus locuti sunt. Jam mores eorum quantùm & quoties mutavêre? Alii sanè fuêre primis seculis, cum quid velut ex pastoribus indomitum spirans populus de territorii su

limitibus tuendis cum finitimis Italiæ nationibus, mox de Italiâ totâ, & denique, procedente fortunâ, cum Carthagine, de Orbis imperio certavit. Alii mores paulò post, cum jam ad summum potentiæ culmen Urbs provecta, inter servitutis instrumenta etiam Reges numeraret. Alii denique, cum eadem Roma felicitatis suæ molem non capiens, ex ambitu & luxu nimio in bella civilia, & exindè in servitutem delapsa est. Quod in Romano populo contigit, idem in aliis gentibus contigisse & adhuc contingere, facilè si opus esset, ostendi posset. Sed res nimis liquida est,& â nemine vocatur in dubium. Antequam verò â regimine civili abeamus,de belli quoque vicissitudinibus dicendum aliquid videbatur. Belli enim res ad Statûs publici administrationem pertinent. Jam si usquam in re certè militari magna & admirabilis casuum varietas est. Quod multis utique exemplis clarum, manifestumq; est. Et vel nostrum hoc bellum, cujus brevia ante lineamenta dedi, sufficere nobis potest, ne ulla alia ampliùs testimonia aut documenta requiramus.

CAPUT XVII.

Vices in statu Ecclesiæ antiquissimæ. Sub Imperatoribus Ethnicis, Christianis.

TAndem à regimine Civili ad Ecclesiæ res transimus. Has verò variis pariter mutationibus agitatas

tatas nemo ignorat. Nam si antiquissima primùm tempora respicere libeat, quæ istic unquam tranquilla Ecclesiæ sedes fuit? Quâ pace fruebatur ante diluvium, cum illi in unam propè Noachi familiam redactæ Gigantes, terræ & filii & domini, illuderent? Et paulò post cum tota, quantacunque erat, arcæ erat inclusa, & in aquis cæterum orbem mergentibus natabat? Nonnè eadem in Abrahamo, Isaaco, Jacobo assiduè peregrinata est? Nonnè in Ægypto gravissimæ servitutis jugum, indè verò egressa, acerbissimam deserti solitudinem tulit: postea refocillata nonnihil, mox iterùm afflicta, denique verò malorum Principum infandis moribus, bellisque civilibus agitata, in Babylonicæ captivitatis præcipitium ruit? Hinc reversa, post aliquot seculorum, plures autem fortunæ circuitus, magnam illam, auspice DEI filio, Crisin conversionemque subiit. Ubi sparso per Orbem beatorum Martyrum sangvine lætissimè disseminata, & post brevem quietem iterùm in exilium, carceres, ignes, furcas, ire jussa est: donec sub Constantino M. ad Imperii clavum pervenit. Felix visa, nisi â vi externâ tutam assertamque, interna litium, Schismatum, hæresium venena infecissent. Quis enim nescit, hoc illud tempus esse, quandò Patrum Catholicorum cum Arrio exarsêre certamina? cum ingemuit Orbis, & Arianum se esse admiratus est? Collisa tùm vehementer Ecclesia, vix multo annorum decursu ad quietem redire potuit: & postea,

cum acquievisse sibi videretur, alia atque alia, vidẽtidem schismata & hæreses subortæ sunt, quæ deinde in atrocissimos tumultus, seditiones, bella, regnorum & Rerumpublicarum mutationes erupêre. Ardentem his flammis Orbem Christianum jam duo penè secula vidêre & fortasse plura videbunt. Ac hæ ipsæ Christianorum discordiæ ut primò januam aperuêre Mahometis teterrimi impostoris doctrinæ & potentiæ, ita hodieque eidem fulcra & incrementa præbent. Verèque hæc sunt tempora, quibus soluti è vinculis Sathanæ instinctu, Gog & Magog, tum & de quatuor mundi angulis excitæ gentes dilectam Civitatem (Ecclesiam) & Castra Sanctorum oppugnant.

CAPUT XVIII.

Vices in artium emporiis: & ipsis artibus: quæ migrarunt subinde de loco in locum, nec eædem semper æquè florent.

VErùm ab Ecclesiæ theatro ad artium officinas descendamus. Quas & ipsas quin communis ille rerum & mundi circulus variè rotare aliquandò soleat, nemini eruditorum dubium aut obscurum est. Si non aliis urgentur fatis, tamen Imperiorum, in quibus positæ sunt, fortunam seqvuntur. Publicâ scilicet felicitate virescunt, bellis aut aliis malis ingruentibus desolantur, vel ipsâ

etiam

etiam vetuſtate exoleſcunt. Neque mirum eſt Scholarum vices eſſe ejusmodi, cum artes quoque & diſciplinæ ipſæ â variis mutationibus non ſint immunes. Nam primùm de gente in gentem migrant. Primis mundi ſeculis intra Patriarcharum familias clauſæ, poſtea ad Chaldæos & Ægyptios profluxêre. Indè ad Perſas & Indos, mox ad Græcos ſunt progreſſæ, inter quos non maximis tantùm auctibus locupletatæ, ſed indiverſos etiam ſectarum velut alveos fuerunt diſperſæ. Et artium illud Palladium, in iſtius quidem gentis cuſtodiâ diutisſimè omnium manſit: ibi pegaſus, ibi aquæ Caſtaliæ, ibi Parnasſus Muſarum ſedes;

—— *Vates ibi factus Apollo.*

Noſtro ævo omne illud literarum decus in Græciâ periit, præclarique illi ſcientiarum fontes inaruêre. Itali, Galli, Hiſpani aliique populi Occidentales magiſterium illud ſapientiæ ad ſe jampridem traxerunt, ipſi etiam ſubindè inter ſe de principatu certantes. Iisdemque Septemtrionum quoque filii, ſi non ingeniorum acumine, ſaltem induſtriâ palmam facere ambiguam conantur. Sed aliud præterea fatum eſt, quod artium ſtudia patiuntur. Cum enim non unius generis illæ ſint, ſed in multas quaſi regiones ille diſciplinarum Orbis dividatur, rarò certè, aut nunquam eæ omnes ſimul parique curâ coluntur. Fuêre ſecula, in quibus merè cæleſtium corporum contemplationi mortales invigilârunt,

cæte-

cæterarum artium rudes & incuriosi. Socratis ductu â cælo in terras, â speculationibus ad morum & vitæ civilis disciplinas conversi sunt animi. Generatim verò humana Sapientia, in plurimis imperfecta, in multis prorsus desipiens & gravissimorum errorum fæcibus contaminata ita magnam Orbis partem occupatam tenuit, ut de rebus divinis aut parum solicita esset, aut pessimè sentiret. Postea Divinæ scientiæ ita vicissim evaluêre, ut aut obliterarent aut corrigerent philosophiam. Alicubi tamen, cum ut bonarum segetum, sic spinosarum quæstionum magnus inter eruditos proventus luxuriaret: tandem istarum quoque fastidium multis mortalium venit, & in Academiis plerisque â subtilium speculationum acuminibus ad linguarum artiumque humaniorum culturam denuò flexêre ingenia. Quamdiu his quoque vigor ac pretium suum mansurum sit, nemo facilè dixerit. Senectam equidem iis & periodum instare, multi nec vani augures præsagiunt.

CAPUT XIX.

Alexandria olim mater artium, Athenæ. Academia quot in Italiâ, Galliâ, Germania. Doctissimi subindè loca mutavêre, uti Aristoteles, Herodotus, Franciscus Petrarcha, Georg. Buchananus, Isaacus Casaubo-

nus, Alciatus, Justus Lipsius, Gerhard. Vossius.

SED redeo ad sapientiæ officinas, quarum excidia â me explicari ante cæpta, in exemplis magis patebunt. Copiosissimo artium omnium proventu Alexandria olim beata & clara fuit: sic ut ejus potissimùm causâ Ægyptus Mater artium sit appellata. Hodiè nescio an ullum Scholæ vestigium illis. Athenas non magis res gestæ, quam artes sapientiæ olim nobilitârunt, undè & Græciæ musæum, & Græcia Græciæ Urbs illa fuit nuncupata. Nostro seculo Athenæ aut nullæ, aut prorsùs illiteratæ, minimè certè Atticæ sunt. Massilia Galliæ Urbs olim literarum alumna fuit, nec Gallis tantùm, sed & Romanis ipsis frequentata, undè Julio Agricolæ C. Taciti socero sedes ac magistra studiorum fuit. Nunc quod sciam, nihil illic memorabile geritur in literis. Verùm istis in locis artium splendor extinctus est, ita alibi tantò lucculentius effusit. Habet Gallia, cujus pars Massilia est, sedecim Academias, Italia undecim, viginti sex Germania, viginti duas Hispania, duas Anglia, tres Polonia, Prussia hæc nostra unam, sed præter hanc alia non pauca Gymnasia & Scholas satis celebres. Neque enim Septemtrionem quoque hunc carere literarum luce Deus voluit: quam ejusdem Clementia non perennare tantùm sed & magis magisque enitescere velit, rebus omnibus,

bus, quæ ad ſalubre diſciplinarum ac pietatis incrementum pertinent, largiter ſuppeditatis. Is inprimis literarum nobis Mecænates conſervet, ſub quorum patrocinio non vigor tantùm ſed & honor ac pretium eſt ingeniis artibusque honeſtis. Idem quoque dignos identidem ſubmittat operarios, eosq; qui ſunt conſervet, ac talibus locet ſtationibus ubi quamplurimum prodeſſe poſſint. Hujus enim rei, uti omnium cæterarum, diſpoſitio, Divino maximè competit arbitrio. Quod dùm homo ſequitur, nulla eidem mutatio acerba, nulla apud alios invidioſa vel eſt vel eſſe debet. Certum eſt enim, facem, quam rebus humanis literati præferunt, ita uni loco affigi non poſſe, quin aliò quoque eam interdùm transferri oporteat. Divinus Plato ſtudiorum causâ Athenis in Italiam, ex Italiâ in Ægyptum migravit: ter in Siciliâ fuit, ibidemque varias fortunæ vices expertus eſt. Magnus Ariſtoteles Athenis relictis in aulam Macedonicam, indè denuò Athenas ſe contulit, tandem verò hinc quoque in Chalcidem profectus, reliqvum vitæ iſtîc transegit. Herodotus ex Patriâ Halicarnaſſo in Samum Inſulam, indè iterùm in Patriam, denique verò Thurium, quæ Athenienſium colonia eſt, conceſſit, ubi & hiſtoriam ſuam & vitæ fabulam finivit. Nec recentioris ævi ſapientes eodem ſemper in loco manſerunt. Franciſcum Petrarcham aliquot annis Romæ, aliquot Neapoli, aliquot Parmæ, aliquot Aveniome, aliquot deni-

denique Patavii vixisse reperio. Georgius Buchananus Vir sanè inter primicerios eruditorum numerandus, cum Scotus esset, in Galliâ primùm Grammaticam docuit. Indè in Patriam cum Kennedo Comite redux factus, exacto ibi quinquennio in Galliam rediit, ubi primùm Lutetiæ, deindè Burdigalæ literas professus: hinc in Lusitaniam cum Goveano evocatus, studiis istic renascentibus, egregium lumen cæpit affundere. Postea Disciplinâ S. Francisci, cui se addixerat, & Ecclesiâ Catholicâ desertâ, in Galliam rediit, ubi quinque iterùm annis in Caroli Cossæi contubernio transactis, Patriæ tandem post liminiò redditus, hic senectutem institutioni Jacobi Regis tùm pubescentis & juxta historiæ scribendæ impendit, quâ de formâ Matris Regiæ & fide Catholicâ pessimè est meritus. Isaacus Casaubonus Clarus eruditione, primò Genevæ, postea in Academiâ Monspeliensi bonas literas docuit. Indè Lutetiam ab Henrico IV. ob res gestas Magni nomen adepto. Ad bibliothecæ Regiæ curam evocatus est, denique verò in Angliâ Jacobo Regiæ operam suam commodas, fatis concessit: rediturus alioquin denuò in Galliam, quod ex quadam ejus epistolâ colligo, fortè & ad Ecclesiæ Catholicæ gremium, ad quod visus dudum erat adspirere, nisi morte fuisset præventus. Alciatus Jurisperitorum eloquentissimus, eloquentium Jurisperitissimus (id enim elogium, â Cicerone olim Scævolæ tributum,

tum, Lilius Gyraldus Alciato confert) quatuor minimum locis docuit Avenione, Biturigibus, Ticinii, Bononiæ. Quo nomine ille se non tantùm veniâ sed & laude dignum judicat. Veniâ, quia ærumnis bellicis loci mutatione se subduxerit: laude, quod nullum in locum nisi amplissimis præmiis invitatus venerit. Ita enim ipse in Oratione Ticini habitâ de se, ut refert Cl. Minos sub emblemate 142: *Quamplurimi*, inquit, *vestrum optimè sciunt, ut belli calamitatibus ejectus relictâ Patriâ trans Alpes profectus sim. Ibi professorio muneri addictus aliquot annos summâ cum gratiâ moram traxi. Quod an illorum humanitati tribuam, an qualibuscunq; studiis nostris non satis scio. Tria certè magnifica hac in disciplinâ tribus in celeberrimis Gymnasiis mihi contigerunt, quæ nescio, quod citra arrogantiam dictum sit, an cuiquam alii. Primum ut Avenione, cum nunquam ad eam diem cathedram adscendissem, stipendium sexcentorum mererer, & ætate longè impar, senioribus tamen æquarer: alterum in Biturigibus, quorum liberalitate, ipso Rege adjuvante, secundo quàm eo veneram, anno duplicatum mihi est honorarium, & mille ducentiq; præstiti: tertium est, quod tam à longinquis partibus in Patriam ab Excellentissimo Duce nostro accersitus, Senatoriâ dignitate ornatus, hanc accessionem ne quidem cogitans, tantum ab est, ut petierim sim consecutus.* Hactenus ille. Ad propriora ut accedamus tempora *Justum Lipsium* Jenensis primum Academia, postea Leydana, deniq; Lovaniensis aluit, *Erycius Puteanus* Mediolani primùm docuit, postea Lipsii locum Lovanii occupavit,

vit, & parum abfuit, quin indè Bononiam se pertrahi pateretur. *Joannes Gerhardus Vossius*, Dordrechtani primùm Gymnasii Rector, deindè Seminarii Hollandici, quod Leidæ est, Regens, posteà Professor ibidem, denique verò Amstelodamum translatus est, ut novum istic Gymnasium incomparabili eruditione suâ & famâ illustraret.

CAPUT XX.

Adversa eruditorum, Trapezontii, Hermolai Barbari, Philippi Comi- nei, Collenutii, olim Aristotelis. Plinii Majoris Criniti, Sabellici.

PRæter istas verò migrationum vices, alias quoque mutationes subeunt identidem eruditi. Agam primò de adversis, quibus subindè conflictantur. Neque enim ab his Numen cultores Sapientiæ voluit esse immunes. Fortè, quòd uti omnis virtutis, sic studiorum stimulus & quodammodò nutrix est calamitas: vel etiam, quia homines sapientiam professos dignos maximè judicat, cum quibus metuenda collidat: vel denique, quod ferendis malis non alios magis sufficere posse existimat. Quicquid sit, tantus sanè numerus, tanta & varietas est malorum, quibus literatos subindè affectos legimus, ut hæc tristis Ilias Pierio Valeriano, viro longè doctissimo, argumentum fecerit sin-

gularis libelli. Qui ut titulo ipso, ita tractatione totâ nihil aliud quàm infelicitatem eruditorum spirat & loquitur. Quanquam multos etiam calamitosos, quos ordo literatus habuit, prætermisit, verè enim intra sui, aut suo proximi temporis, Italiæque suæ viros literatos constitit, nullâ aut certè permodicâ aliorum, qui extra patriam ejus, aut anterioribus seculis vixissent, factâ mentione. At omne ferè ævum, omnem etiam populum cultiorem, literati, non ingeniis tantùm, sed calamitatibus quoque suis insigniêre. Plurimis doctrinâ suâ de aliis publicè, & privatim benè meritis, pro statuis, aliisque præmiis, quæ grati olim Magistratus dare talibus soliti sunt, odium, contemptum, calumnias repositas, & usque reponi videmus. Scimus, quam gratiam pro laboribus suis retulerit Georgius Trapezuntius vir sanè doctissimus, quem invidia æmulorum Româ Neapolim exegit, ut in vitâ ejus, quam filius Andreas descripsit, habetur. Non ignoramus etiam fatum Hermolai Barbari, laudatissimi tam innocentiâ vitæ, quàm Eruditione Patriarchæ Aquilejensis, qui, ob hoc ipsum Sacerdotium à Decemviris Venetis, possessionibus suis & patriâ exutus, & in exilio vitam pudendâ inopiâ, & tandem peste finivit. Inter omnes vitæ civilis & historiarum peritos clarum est nomen Philippi Cominei, viri genere & dignitate illustris. Aurei enim Velleris eques, & primùm Carolo Burgundo, postea Ludovico XI. Galliarum Regi con-

tinuus carusque fuit. Sed is tandem in carcerem conjectus, & ab omnibus desertus, ipse causam innocentiæ suæ egit peregitque. Absolutus enim tandem est, sed ingrati animi reos, post fata etiam agit illos, qui tantum Virum, & tam insignem utilissimæ historiæ conditorem triennali captivitate torsêrunt. Verùm miserabilor fuit fortuna Pandulphi Collenutii Pisaurensis Juris-Consulti, Latinis & Græcis literis pereruditi, uti à Leandro appellatur. Hunc enim post elaborata non pauca ingenii monumenta, à Joanne Sfortiâ Pisaurensium Tyranno in carcere tandem strangulatum, Jovius & Pierius Valerianus perhibent. Sed ut variis malorum formis, ita & causis diversis afflictos subindè viros eruditos legimus. Quosdam ipsa sua in literis diligentia morbidos debilesque reddidit: quosdam & perdidit. Persium doctissimum Satyricum vigesimo nono ætatis anno vitium stomachi abstulit, haud dubiè ex nimio studio contractum. Hortensius ingens Orator, dum Caussas in foro ageret, in medio Orationis cursu, dum vocem nimis intenderet, ruptus est. De quo Serenus Poëta:

— *Causis etenim confectus agendis*
Obticuit, cum vox Domino vivente periret,
Et nondùm extincti moreretur lingua palati.

Ipse morborum maximus debellator Galenus ex continuo scribendi legendique labore correptus est febre, eâdemque vigilandi assiduitate somnum

amisit, ut in vitâ ejus refert Gesnerus. Superiori seculo Adrianum Turnebum virum sanè in literis præclarum, studia intempestiva in phthisim & exindè mortem immaturam præcipitavêre. Aliquantò benignius egit natura cum Guilielmo Budæo, qui diutius quidem, sed non sine miserabili valetudinis incommodo vixit. Totis enim quatuordecim annis continuis vix propè tres se noctes dolore capitis vacuas habuisse, ipse in quâdam ad Erasmum epistolâ conqueritur. Valetudinis imbecillitatem assiduè penè deplorat in epistolis suis Justus Lipsius. Jam curiositas & insatiabilis in rerum obscurarum inquisitione cupido, nonnè summos doctrinarum Duces sustulit? Principem utique ingeniorum Homerum, cum datum â piscatoribus ingeniosum responsum interpretari non posset, concepto indè mærore animi, exspirâsse memorat Valerius Maximus & Plutarchus. Aristotelem, cum meditando assequi nequiret, quâ naturæ vi Euripus uno νυχθημέρῳ fluxum suum septies reciprocaret, in ægritudinem incidisse perhibent, è quâ nunquàm convaluerit. Quanquam Censorinus in libello de die natali aliam morbi causam affert, quam, quia à cæpto argumento non abludit, referre, operæ pretium videtur. *Aristotelem*, inquit, *ferunt naturalem stomachi infirmitatem, crebrasq; morbidi corporis offensiones ad eò virtute animi diu sustentâsse, ut magis mirum sit, ad annos sexaginta tres vitam potuisse, quàm ultra non protulisse.* Cum Censorino facit Dionysius Halicarnasseus, & Apollodorus Athe-

Athenienſis, & poſt iſtos Petrus Joannes Nunneſius, accuratæ eruditionis vir, qui in Ariſtotelis vitâ, quam eximio commentario illuſtravit, hoc inſupèr addit, morbum illum ventriculi ex asſiduis vigiliis & nunquam intermisſis literarum ſtudiis Dictatori iſti Sapientiæ attractum eſſe. Duobus his Sapientiæ Autoribus meritò adjungo Plinium majorem, præclarum illum Naturæ, ut ſic dicam, Bibliothecarium. Quem, cum incredibili ſtudio orbem ſuperum inferumque luſtrare, poſterisque deſcriptum relinquere aggreſſus eſſet, Veſuvius mons, cujus incendia penitùs perveſtigare cupiebat, favillis ſuis ſuffocavit. Dolendi ſunt iſti tantorum Virorum exitus, at pudenda mors viri alioquin celebratisſimi M. Antonii Sabellici, Enneadum ſcriptoris, qui productâ ad ſeptuageſimum penè annum ætate, morbo Gallico ut vocant, quem ex vulgivagâ Venere contraxerat, decesſit, ut poſt Paulum Jovium, & Pierium Valerianum refert Joannes Gerardus Vosſius in libro de Hiſtoricis Latinis. Idem, Petrum Crinitum, clarum ſatis Angeli Politani Diſcipulum, cum poſt cænam, rixosâ vernilitate cum convivâ quodam petulantiori altercatus eſſet, ab eo aquæ frigidæ cantharo perfuſum obriguiſſe, & accedente ex contumeliâ animi ægritudine, in ipſo mediæ ætatis vigore, vitam cum morte commutaſſe, memorat.

CAPUT XXI.

Eruditi multa patiuntur â Zoilis. Sæpè inter ſe rixantur, & ſcriptis ſe mutuò fatigant.

AB iſtis literatorum miſeriis, quibus ipſe amor ſapientiæ ut occaſionem dedit, ita laudem vel veniam conciliat, ad alias jam propero. Ac primùm illam levi manu tango, quam, qui inter eruditos procaciores ſunt, ſibi & aliis concinnant. Dùm nimirùm mordace ingenio & ſtylo calumniatore, ſuam ſimulque publicam literarum quietem turbant. Qualium hominum omnibus ſeculis copioſisſima ſeges fuit. Et maximis quibusque literarum luminibus hæc ſcabies malorum ingeniorum moleſta fuit. Jam olim Homerus, quem doctrinarum fontem ſapientum omnium conſenſus appellavit, Zoilum ſuum habuit, qui quod ſummi viri carminibus flagellandis omnem ſuam operam impenderet, Homeromaſtygis nomen retulit; dignum ſanè ſordidisſimo labore præmium. Cui & alterum, quod ille â Ptolomæo Rege Ægyptio reportavit, egregiè reſpondit. Ei enim, cum libros ſuos, quibus Homerum conſpurcare quæſiverat, offerret Zoilus, & pulcherrimi ſcilicet operis luculentam aliquam mercedem diu fruſtrà expectaret, tandem hoc reſponſum, lepidum ſanè & peracutum accepit; *mirari Regem, cum Homerus jamdudùm mor-*

mortuus tot hominum millia aleret, Zoilum egere, Homero doctiorem, quippè quem toties argueret. Nec Socrati defuerunt obtrectatores. Ne enim Antiochum Lemnium, ne Antiphonem nominem, quam acerbis sæpè Aristophanis similiumque Comædorum salibus perstrictus est in publico. Ut nimirùm sic quoque patientia viri exerceretur, quam equidem is ut alibi, sic in istâ etiam arenâ graphicè ostendit. Pulchrè de eo Seneca: *Respiciamus* inquit, *eorum exempla, quorum laudamus patientiam; ut Socratis, qui Comœdiarum publicatos in se & spectatos (in theatro scilicet) sales in partem bonam accepit, risitque non minùs, quam cum ab uxore Xantippe immundâ aquâ perfunderetur.* Non possum, quin & alterum de Socrate Senecæ locum non minùs elegantem adducam: *Socrates ex illo carcere, quem intrando purgavit, omnique honestiorem Curiâ reddidit, proclamat. Quis iste furor? quæ ista inimica Diis hominibusq; Natura est? infamare virtutes & malignis sermonibus sancta violare? Si potestis, bonos laudate, si minus tacete. Quod si vobis exercere tetram istam licentiam placet, alter in alterum incursitate. Nam cum in cælum insanitis, non dico Sacrilegium facitis, sed operam perditis. Præbui ego aliquandò Aristophani materiam jocorum: tota illa Comicorum Poëtarum manus venenatos suos sales in me effudit. Illustrata est virtus mea per ea ipsa, per quæ petebatur. Produci enim illi & tentari expedit: nec ulli magis intelligunt, quanta sit, quam qui vires ejus lacessendo senserint. Duritia silicis nulli magis, quàm ferientibus nota est. Præbeo me non aliter quam rupes aliqua*

aliqua in vadoso mari destituta, quam fluctûs non desinunt, undecunque moti sunt, verberare: nec ideo aut loco eam movent, aut per tot ætates crebro incursu suo consumunt. Assilite, facite impetum, ferendo vos vincam. Romanæ Historiæ Principem Salustium, quia Pompejum *oris probi, animo inverecundum* appellaverat, Libertus Pompeji, Lenæus mordacissimâ invasit Satyrâ. Sed nec ipse aliis pepercit Salustius. Notum enim est literatis, quam acerbus fuerit in Ciceronem: malè ferens viri magnitudinem, quâ suam obrui credebat. Cicero autem iste quot alios prætereà habuit detractores? Asinius Pollio elumbem & exanguem dixit: mortemque ejus in historiâ suâ malignè, teste Senecâ patre, narravit. Sed hic idem Seneca alium quoque Ciceronis hostem nobis memorat Cestium quendam. Qui quoniam ob suas in Eloquentiæ Romanæ parentem calumnias, bellè & prorsùs ex virtutibus suis ornatus est, eò magis juvat apponere, quæ de eo Seneca refert: *Cestius,* inquit, *homo nasutissimus; & mox: Erat autem nullius quidem ingenii, Ciceroni verò etiam infestus. Quod illi non impunè cessit; nam cum M. Tullius, filius Ciceronis, Asiam obtineret, homo, qui nihil ex paterno ingenio habuit præter humanitatem, cænabat apud eum Cestius. M. Tullius cui & natura memoriam dempserat & ebrietas, si quid ex eâ supererat, subducebat; subinde interrogabat, quis ille esset qui in imo recumberet, & cum sæpè subjectum nomen Cestii excidisset, novissimè Servus, ut aliquâ notâ memoriam ejus faceret certiorem, interroganti iterum Domino, quis*

ille

ille esset, qui in imo recumberet, ait: Hic est Cestius, qui Patrem tuum negabat literas scivisse. Afferri protinus flagra jussit & Ciceroni (Patri) ut oportuit, de corio Cestii satisfecit. En epidorpisma, en bellaria digna sanè Tullii filio, digna quoque Ciceroniani nominis maligno obtrectatore. Si recentiores quoque virorum literatorum ἀντιλεχνήσεις & æmulationes, si infelices inter se non dissensiones tantùm, (nam hæ salvâ libertate & virtute, tolli omninò non possunt) sed acerrimas colluctationes, & putidissima de rebus sæpè inanibus aut exilis saltem momenti certamina memorare vellem, verba me deficerent. Sed piget quoque, purulentam hanc gangrænam attingere, quæ professos sapientiam animos immane quantum dedecet fœdatque. Hoc nimirùm monstrum illud est, quod viros sæpè insignes, ipsosque aliquandò Antesignanos Musarum committit: & ita committit, ut rabiosarum instar anuum totis convitiorum plaustris in se mutuò invehantur. Hæc pestis ingentes nonnunquam libros conquisitis mordacissimorum salium acervis effercit extruitque: hæc non vivos tantùm, sed mortuos etiam subindè invadit: ipsissima sanè Cerberi spuma, ipsissima Erinnys, non Palladis utique officinis, sed profundissimis Orci tenebris digna.

CAPUT XXII.

Fata Platonis, Demoſthenis, Cremuti Cordi, Aruleni, Beſſarionis, Gazæ. Pæna in perſecutores magnorum ingeniorum.

QUod ſi rerum in Orbe potirentur literati, ſi omnia ad arbitrium & nutum ſuum haberent, minùs forſan mirum videri poſſet, eos felicitate ſuâ corruptos ita luxuriare, atque efferveſcere, tandemque in tædium quietis delabi, ut plerumq; felices ſolent. Sed quoties quæſo tam beata tranquillitas, tam alta otii ſagina eruditis contingit, ut non ſatis habeant, quod agant, etſi mutuis ejusmodi jurgiis ac certaminibus ſibi ipſi non faceſſant negotium? Nonnè enim illi extra Scholarum ſuarum ſpatia, hoſtium aut ſaltem contemptorum ſatis ſemper repererunt? Nonnè ſufficiunt certamina, quæ cum barbarie & ignorantiâ, ac proindè cum majore humani generis parte, literarum ſcilicet imperitâ & aſpernante, perpetuò decertanda veniunt? Quis ignorat, quo loco illi plerumq; habiti ſint â ſuperbis Aulæ vel Martis ſatellitibus? quibus ſuggillationibus & quàm ſiniſtris variorum judiciis ſubindè ſint obnoxii? quibus etiam nonnunquam ab impotente dominatu injuriis vexentur? Nimirûm vetus hæc eſt ſapientiæ alumnorum fortuna. Socratem ad carcerem primùm, mox ad cicu-

INCLYTO
SEPTENTRIONIS EMPORIO
CIVITATI REGIÆ
GEDANO
Pacem & omnigenam felicitatem.

T*Riginta ferè anni effluxêre, cum ex Regno magnoperè tum afflicto, & penè naufrago, ad hoc littus Balthicum me recepi, & intra mœnia dein Tua agens, varias totius penè Europæ* Vices, *famæ hîc non errantis indicio, cognovi, & ipse parem tecum, aut non multùm dissimilem fortunam sum expertus. Emensi simul sumus atrocia & nimis diuturna bellorum incommoda, sustinuimus pestiferarum contagionum pericula,*

cicutam damnatum fuisse, paulò ante diximus. Platonem vir Lacedæmonius, Polis nomine, jussu Dionysii Tyranni, vendidit. Eandem quoque sortem Theramenes, Atheniensis paritèr Philosophus, jussu triginta Tyrannorum, subiit. Eandem & Aristoteles vix effugit. Et ante hos Linum Hercules, Orpheum Thraciæ mulieres interemêre. Demosthenis verò & Ciceronis, Principum Oratorum, quod fatum fuit? Uterque exilium, uterque mortem passus est violentam. Undè Juvenalis:

Eloquio sed uterq; periit Orator, utrumq;
Largus & exultans letho dedit ingenii fons,
Ingenio manus est, & cervix cæsa —

Tiberii seculo Cremutius Cordus in jus vocatus est, quod in historiâ suâ M. Brutum & Cassium deprædicâsset. Et cum ipse vitam abstinentiâ finîsset, libros ejus Ædiles jussi sunt cremare. Sub Domitiano, Aruleno Rustico, Petum Thraseam, Herennio Senecioni Priscum Helvidium laudâsse, capitale fuit, uti inter alios Cornelius Tacitus memorat: „*Neq; in ipsos modo Autores*, (ut ibidem additur) *sed in* „*libros quoq; eorum sævitum, delegato Triumviris ministerio* „*ut monumenta clarissimorum Ingeniorum in Comitio &* „*foro urerentur. Scilicet illo igne vocem Populi Romani* „*& libertatem Senatus, & conscientiam generis humani* „*aboleri arbitrabantur, expulsis insuper Sapientiæ Profes-* „*soribus, atq; omni bonâ arte in exilium actâ, ne quid us-* „*quam honestum occurreret.* Cum seculo abhinc tertio Græciam invasisset Turcarum Tyrannis, in exilium

lium unà cum literis abiêre Beſſarion, Theodorus Gaza, Emanuel Chryſoloras, Laſcaris, aliique viri doctisſimi. Superiori ſeculo magnum Tychonem Braheum, illum Cæli Mathematici verisſimum Atlantem, æmulorum ſuorum iniquitas Patriâ ſuâ ejecit. Uti ea res in vitâ celeberrimi viri memoratur â Clarisſimo Gaſſendo non ſine dedecore adverſariorum Tychonis, qui haud dubiè poſtea, ſi ſivisſent fata, factam Nobilisſimo viro injuriam magno redemiſſent, ne tali cum notâ in literas ipſi venirent. Neque cæteris literarum perſecutoribus benè unquam cesſit crudelitas ſua. Athenarum Urbi poſt Socratem condemnatum omnia adverſa fuiſſe, memorat Eunapius. Nullo enim poſtea egregio facinore edito, peſſum & ipſa ivit, & per eam Græcia univerſa. Polis, â quo Platonem diximus venditum, â Chabriâ deinceps ſuperatus & in Helice ſubmerſus eſt: ante autem ab Oraculo vocem audivit, Philoſophi malè tractati gratiâ ſibi hoc evenire. Antonium verò deteſtatur omnis ingeniorum poſteritas ob cædem Ciceronis. Et cum hic illius ſcelera toties exagitâſſet loquendo, nunquam majorem vel illi invidiam, vel ſibi laudem, quàm moriendo paravit. Pulchrè apud Se-
„necam Patrem Aurelius Fuſcus: *Quoad huma-*
„*num*, inquit, *genus incolume manſerit, quamdiu uſus*
„*literis, honor ſummæ eloquentiæ erit: quamdiu Reip. no-*
„*ſtræ aut fortuna ſteterit, aut memoria duraverit, admira-*
„*bile poſteris vigebit ingenium, & uno proſcriptus ſeculo,*
„*pro-*

„*proſcribes Antonium omnibus.* Pariter Cremutii Cordi, quem ante nominabam, major poſt illætabile fatum fama eſt. Et ſcripta ejus, etſi cremari juſſa, ſubducta tamen rogo, gloriam autori, Tiberio ingens peperêre dedecus. Caligula enim, hac ſaltem in re Tiberio melior, requiri illa lectitarique permiſit, undè cum & in tenebris aliquandò delituiſſent, publicata fuerunt â Martiâ Cremutii filiâ! Quam eo nomine ita alloquitur Seneca: *Ingenium Patris tui, de quo ſumptum erat ſupplicium, in uſum hominum reduxiſti, & à verâ illum vindicaſti morte ac reſtituiſti in publica monumenta libros, quos vir ille fortisſimus ſanguine ſuo ſcripſerat. Optime meruiſti de Romanis ſtudiis; magna illorum pars arſerat, optimè de ipſo, cujus viget vigebitq́ memoria, quamdiu fuerit in pretio Romana cognoſci, quamdiu quisquam erit, qui velit ſcire, quid ſit Vir Romanus, quid ſubactis jam cervicibus omnium & ad Sejanianum jugum adactis, indomitus ſit homo, ingenio, animo, manu liber. Magnum mehercule detrimentum Resp. cæperat, ſi illum ob duas artes pulcherrimas in oblivionem conjectum, Eloquentiam & Libertatem, non eruiſſes. Legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus, vetuſtatem nullam timet.*

CAPUT XXIII.

Honores Literatorum, exemplis antiquis & recentibus demonſtrati.

QVæ jam diximus, literatos, qui fortunam experiuntur novercam, ſolari poſſunt, & erigere ani-

animos, ne qvisquam ſe à laudabili ſtudiorum curriculo avocari patiatur. Atque ut tanto plus fiduciæ concipiant puſillanimes, rectè facient, ſi poſtquam adverſa literatorum ſecum revoluerint, proſpera etiam ſibi proponant cogitanda. Neque enim ad ærumnas ſolùm & perpetuas miſeriarum quaſi tenebras damnatæ ſunt bonæ literæ: ſubinde & melior illis ridet fortuna. Replicemus Annalium memoriam, vix ullo ſeculo ignorantia ita genus mortalium poſſedit, quin alicubi ſaltem locus & pretium fuerit Sapientiæ. Apud Ægyptios ſanè veteres ſumma eruditorum æſtimatio fuit: adeò, ut teſtante Stobæo, nec Reges ibi ſumerentur, niſi ex Sacerdotibus, vel viris bellicoſis: quia his quidem generis nobilitatem ex fortitudine, illis ex ſapientiâ credebant accedere. Et ſi quis ex bellicoſis eligeretur, Sacerdos illicò fiebat, ut particeps fieret Philoſophiæ. Similis penè honor literatis apud Sinenſes fuit, quantum intelligi poteſt ex hiſtoriâ, quâ recens ſed idem diſertisſimus autor Martinius mores & fata iſtius gentis complexus eſt. Sed ad Chriſtianos jam populos accedere malo, inter quos ſummum ſanè literis & literatis pretium fuit, præſertim, ex quo illi ad Imperium, Gentiliſmo profligato, pervenêre. Inter literatos verò viri præcipuè ſacri ſeu Eccleſiaſtici effloruêre, ita ut denique felicitas iſta vitio quorundam luxuriare cæperit. Quod ſi ſingulatim aut Principes Chriſtianos qui literis patrocinati ſunt, aut erudi-

tos, qui in pretio habiti, recensere vellem, tantus dicenti aperiretur campus, ut fastidium ex copiâ metui posset: cum inprimis istiusmodi Mecænatum nomina dudum jam ab eruditis in illustri luce & quasi theatro æternitatis posita sint, ita ut nec ipsi, nec eorum in literas beneficia, nisi ab ignorantissimis nesciantur. Nimirùm quicquid boni in honestas disciplinas confertur, nec condi, nec sileri, sed perpetuâ quasi tubâ decantari solet. Quod beneficentiæ suæ redhostimentum cum â literis accipiunt Patroni, id se accipere bonum intelligunt, quo nullum majus animo generoso & laudabilium sibi facinorum conscio, nullum certe perennius in his terris dari potest. Interim quia ampla & frequens hominum de literis benè meritorum in scriptis congressibusque literatorum mentio est, destituitur jam ista materies gratiâ novitatis. Tantoq; adeò hic brevior ero, pauca aliqua contentus delibasse. Atque inter Græcos quidem quanti Aristotelem fecerit Philippus Macedo, alias jam ob Homeri amorem φιλόμηρος dici solitus, quantâ doctorum cohorte identidem quasi circumseptus vixerit Alexander, quantus eruditionis amator & conquisitor fuerit Ptolomæus Philadelphus, nimis jam decantatum est. Nec illud ignotum ex Diogene Laertio, Zenoni Cittiæ ob doctrinam, & mores doctrinæ consentaneos, coronam auream & sepulchrum in Ceramico Athenienses decrevisse; hos ipsos item, ut & Thebanos, Pindaro sta-

tuam

tuam posuisse, ejusdemque Poetæ familiam, cum cæterorum civium Thebanorum nonaginta millia internecioni data, triginta sub hastâ vendita essent, servatam, his domui ejus inscriptis verbis: Πινδάρου τοῦ μουσοποιοῦ τὴν στέγαν μὴ καίετε *Pindari domum ne cremate.* Vulgatum & illud, de Homeri Patriâ septem Urbes Græciæ non sine summâ æmulatione inter se certâsse, quâlibet earum Viri tanti Natales sibi vendicante. Inter Romanos Ennium non vivum tantùm vivus maximi fecit Scipio Africanus, sed mortuum etiam sepulchro suo jussit imponi. Quâ de re Ovidius, veterum in Poetas munificentiam diverso sui temporis mori opponens:

Cura Ducum fuerant olim Regumq; Poetæ,
Præmiaq; antiqui magna tulere chori,
Sanctaq; Majestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpè dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.
Nunc hederæ sine honore jacent, operataq; doctis
Cura vigil Musis nomen inertis habet.

Jam quæ Lælii cum Terentio, quæ Ciceronis cum Archiâ familiaritas, quæ Pompeii in Possidonium & Cratippum veneratio, quis Augusti in Maronem & Horatium amor, quæ liberalitas fuerit, lippis penè jam & tonsoribus, ut in proverbio, notum est. Quibus meritò Vespasianum ejusque filium Titum adjungimus, quorum ille, etsi alioquin par-

parcisſimus, SalucioBaſſo illuſtri Poëtæ quingenta ſeſtertia, h. e. duodecim millia aureorum donavit alterius verò favore & curâ Joſephus, rerum Judaicarum accuratisſimus Scriptor, Romæ liberalisſimè habitus eſt, ita ut Libri ejus Bibliothecæ publicæ traderentur, & ipſe, ob ingenii gloriam ſtatuâ poſitâ honoraretur. Jure & Trajanum addimus, qui Plutarcho primùm Præceptore, poſteà intimo amico uſus eſt: idem tam gratus erga Magiſtrum, ut Conſulem eum denique fecerit. Ut Princeps iſte ſolidisſimè meruerit Encomium, quod ei inter alia multa tribuit Plinius in Panegyrico: *Quem honorem*, inquit, *dicendi Magiſtris, quam dignitatem Sapientiæ doctoribus habes? Ut ſub te ſpiritum & ſanguinem & Patriam receperint ſtudia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat.* Nec ſilentio involvi debet Gratiani Imperatoris in Auſonium, Ducem olim ſtudiorum ſuorum gratisſimus animus, quippe quem ille non multis tantùm opibus locupletavit, ſed perinde ut Trajanus Plutarchum faſcibus ornavit Conſularibus, ſplendidisſimum etiam eo nomine ab Auſonio meritus Panegyricum. Theodoſii quoque Magni tempora nefas fuerit tranſire, quippe quibus inter alios ſacrà Eruditione excellentes viri, S. Damaſus Papa, S. Baſilius, Gregorii, Hieronymus, Chryſoſtomus, Epiphanius, aliique ſanctisſimæ notæ Viri floruere. Symmachus, Arſenius, Prudentius ſumma Imperatorii favoris ſpecimina retulere, Claudianus verò Poëta eo provectus eſt, ut & Patricius Romanus, cùm

in Ægypto natus eſſet, fieret, & denique ab Arcadio & Honorio, filiis Theodoſii, ſtatuâ honeſtaretur. Cujus inſcriptionem, quia ad præſens argumentum apprimè facit. liceat hic ſubnectere. Ita autem habet: CL. CLAUDIANO V. C. TRIBUNO ET NOTARIO INTER CÆTERAS INGENTES ARTES PRÆGLORIOSISSIMO POETARUM LICET OB MEMORIAM SEMPITERNAM CARMINA AB EODEM SCRIPTA SUFFICIANT, ATTAMEN TESTIMONII SUI GRATIA ET OB JUDICII SUI FIDEM DD. NN. ARCADIUS ET HONORIUS FELICISSIMI ET DOCTISSIMI IMPERATORES, SENATU PETENTE, STATUAM IN FORO DIVI TRAJANI ERIGI COLLOCARIQUE FECERUNT.

Ε'ιν ἑνὶ βεργιλίοιο νόον καὶ μοῦσαν Ομήρου
Κλαυδιάνον Ρώμη καὶ βασιλεῖς ἔθεσαν.

Virgilii mentem, Muſam uno in pectore Homeri,
Hic ſtatuunt Reges Romaq; Claudianum.

Poſſem ex proximioribus quoque ſeculis plurimos adducere viros literatos honorificè admodùm & benignè habitos à maximis Principibus: Ingentia enim fuerunt beneficia, quibus Muſarum Cultores proſecuti ſunt Carolus Magnus, Carolus IV. Carolus V. Sigismundus, Imperatores, Nicolaus item V, Leo X. Adrianus VI, Eugenius IV, Urbanus VIII Pontifices, Alphonſus Arragoniæ, Ferdinandus & Robertus Siciliæ, Franciſcus Galliæ, Matthias Corvinus Hungariæ Reges, Andreas

Dandulus,

pernici narratione, Gedani 1540 impreſsa, quam nuper mihi doctisſimus & juxta optimus vir Laurentius Eichſtadius, Medicus & Phyſicus, necnon Profeſſor Gedanenſis, ſuppeditavit. Quibus jure addimus *Joannem Dantiſcum*, Virum ab hâc Urbe, in quâ natus eſt, nomen adeptum, nec Patriæ vicisſim ſuæ indecorem. Is obſcuris Parentibus ortus, ingenio & doctrinâ eò ſe provexit, ut non tantùm eundem (quem lubenter toties jam nomino, quia quâ excellentium virorum copiâ is floruerit, melius ſic intelligitur) Epiſcopatum Varmienſem adierit, ſed & Legationibus ad magnos Principes obeundis ſubinde fuerit admotus. Carolo V ſanè adeò gratus ille extitit, ut, cùm magnus iſte Princeps imperium depoſiturus, plerosque alios Imperatoriæ fortunæ comites miniſtrosque dimiſiſſet, hunc in Hiſpaniam ipſam ſecum deduxerit, excultisſimo Viri ingenio & moribus compoſitisſimis ita mirificè delectatus, ut ægerrimè à conſortio ejus avelleretur. Quanta porrò iſtius viri eruditio, quantusque in ſplendidisſimâ etiam poſteà fortunâ in literas amor fuerit, ex multis clarisſimis argumentis, ſed inprimis quoque ex carminibus elucet, quæ is vir cum ad alios, tum ad Georgium Sabinum Poëtam eximium familiarisſimè ſolebat ſcribere, inter poëmata Sabini, in perpetuum literarum noſtrarum decus, extantia. Ex eâdem hâc Urbe Gedanenſi alii quoque Viri occurſant animo, quos ob ingenii, & doctrinæ dotes am-

plisſimis muneribus Curia publica adhibuit: etiam hâc ratione palam faciens, quo loco & numero ſtudia ſapientiæ habeat, ſed hos ſingulatim enumerare nolo, ne illis invidiam, mihi aſſentationis conflem ſupicionem. Et erit ſpero alibi commodior locus de eâ re prolixius agendi.

CAPUT XXIV.

Solatia literatorum ex ipſis literis, ex præmiis æternitatis.

ISta verò omnia, quæ de literarum conditione hactenùs loquor, eò adducuntur, ut pateat, alumnos etiam Muſarum utriq; ſorti obnoxios eſſe, & aliquibus improſperè, aliis verò ſupra ſpem & penè votum res fluere ſolere. Si quos autem aut non reſpicit, aut deſerit fortuna, ii cogitent, eſſe in ipſis quæ tractant, ſapientiæ ſtudiis, undè animos poſſint levare atque erigere. Undè ad hunc quaſi portum ſubindè Principes etiam Rerumpublicarum viri inter calamitates confugêre. Hinc Cato, hinc Brutus, hinc Marcellus, hinc Cicero, hinc Baptiſta Fulgoſus, hinc multi alii ſolatium petiêre, cum bella civilia Rempubl. in perniciem, ipſos in ſumma diſcrimina raptarent. Nimirùm ex ipſis literis, hoc quod præcipuè jam agimus, diſcere licet, leve momentum in adventitiis rebus eſſe: easque mutare ſæpè & ſæpè perdere Domi-

nos

Dandulus, Carolus Zenus Venetorum, Cosmus & Laurentius Hetruriæ, Rupertus Palatinus, Fridericus Saxonicus, Joachimus Brandeburgicus, Julius Brunsvicensium, Eberhardus Wirtenbergensium Duces. Si recentissima etiam licet adducere: J. Lipsium tanti fecêre Albertus & Isabella Austriaci sanguinis Principes, ut publicè docentem audiverint. Eundem virum ut salutarent Christianissimi Regis Legati Belevrius & Brulartus summi in Galliâ viri, de industriâ Lovanium petiêre. Quâ de re ita in suo Pacis septennio Petrus Matthæus: *Operæ pretium est Flandriam videre propter Lovanium, Lovanium verò propter Lipsium, præcipuum Lovaniæ ornamentum. Quæ ille vir in historiâ præstitit, tanti sunt, ut ipsius videndi causâ tantum itineris merito suscipi debeat, quantum suscepit, qui ab extremis Gadibus Romam venit, ut Titum Livium videret.* Ita Historicus Gallus de Lipsio. Sed istorum Mecænatum erga literas merita præcones quoque suos alibi habent; ita ut minimè nostrâ indigeant deprædicatione. Unde intra Regni hujus nostri limites subsistere lubet. In quo quanta literatis dignatio, quod pretium sit, constare vel exinde potest, quòd in præcipuis Civitatibus Juris vel Medicinæ Doctores ad Consulatum ut plurimum provehuntur. Sed sacræ inprimis eruditionis æstimationem, nonnè tot Senatoriæ in Republ. dignitates & tot amplissima, tot denique pinguissima latifundia vel me tacente loquuntur? Nonne eò felicitas Ordinis istius, liberalitate Majorum processit, ut & summâ jam-

dudum invidiâ etiam inſons laboret, cupiditatemq; alienam in ſuam & Regni calamitatem, quanquam nolens, irritet. Sed quidquid de hoc ſit, illud utiq; agnoſcunt & fatentur omnes, ſacræ togæ proſperis plurima ingenia ad amplectendas liberales diſciplinas excitari, plurima etiam hâc ratione eniteſcere, quæ fortè alioquin in tenebris jacuiſſent. Ita ſanè ſuperiori ſeculo ex paupere ſtatu in lucem emerſit Vir ſummus *Stanislaus Hoſius* Culmenſis primùm, dein Warmienſis Antiſtes, & ſimul Cardinalis Romanæ Eccleſiæ, ac Concilii Tridentini Præſes. Ita *Martinus Cromerus* in altum ſe extulit, Vir quantum infulâ ſuâ, tantum eruditione & ſcriptâ rerum Polonicarum hiſtoriâ illuſtris. Ita ante hos ad celebritatem pervenit *Nicolaus Copernicus*, literarum culturâ eò provectus, ut & ſummum in Jure gradum, & Canonicatum Warmienſem, & præclaram in ſiderum ſcientiâ gloriam meruerit, in his omnibus eximiam Tidemanni Giezii, Epiſcopi tùm Warmienſis opem & patrocinium expertus. Cujus ejusdem eximiam liberalitatem & in ſtudiis promovendis ſolicitudinem deprædicat *Georgius Joachimus Rheticus*, *Wittebergenſis* Mathematices Profeſſor, ſed iſtius præcipuè Præſulis curâ in Pruſſiam vocatus; ibidemque ab omnibus, & cumprimis â Viro Magnifico ac Strenuo Joanne â Verden, Capitaneo Novenſi, Civitatis Gedanenſis Conſule, benignè habitus, ut ipſe profitetur in ſingulari ad Joannem Schonerum de libris Revolutionum Copernici

pernici

tatis præterea titulo eadem æterna beatitudo decoratur: Sed *Civitatis fundamenta habentis*. Nimirùm quæ in orbe hoc terreſtri habitacula incolimus, quid niſi Nomadum tuguria ſunt aut mapalia, ſi cum æternitatis domiciliis comparentur? Splendeant multo auro Regum palatia; latè ſpectentur inſanæ ſubſtructiones, niteant Muſivo opere atque emblemate vermiculato non laquearia tantùm, ſed & pavimenta. Quamvis omnia habeant, quæ vel naturæ vel artis induſtria ſtructuris ejusmodi dare poteſt, carent tamen perennitatis beneficio & fiduciâ, quia incerta caſuum, & certisſimam denique ruinam non poſſunt effugere. Conſtruantur Urbes magnificæ, extendantur ſpatiis vaſtisſimis pomæria, ſurgant ſub æthera muri, in intima terræ penetralia deſcendant tùm fundamenta, tum ſubjectæ vallis altisſimis foſſæ. Ut cuncta hæc curâ pertinacisſimâ, immenſisque laborum, pecuniarum, longisſimi denique temporis impendiis ſpem omnem & vota propè ipſa tranſcenderint, unum ſemper deerit & maximum, ſecuritas perennandi; Nimirùm mille periculis obnoxia ſunt, quia fundamentum iis ſubſterni nequit, quod corruptionem non metuat ſemper, non denique etiam neceſſariò incurrat. Quod enim illud fundamentum tam ſolidum eſt, quod vel aquæ non ſubluant, vel ignis non comburat, vel terræ nutantis tremor, vel vis humana non concutiat, quod poſtremò, ſi omnia alia abeſſent,

abessent, ultimæ saltem & universum orbem tracturæ de molitioni non subjaceat? Sed illa Civitas, quam expectamus, nulli mutationi subjecta est: quia Divina manus illi fundamenta supposuit, quæ perfectissimæ soliditatis nomen merentur; fundamenta æternùm stabilia & inconcussa. Fundamenta præterea non ex lapide illaborato vel aliâ informi materiâ composita, qualia nostrarum structurarum esse solent, quæ & terrâ plerumque absconduntur. Sed scilicet fundamenta nitidissimis, & quæ unquam reperiri possunt, pretiosissimis gemmis splendentia. Quippè in quibus cum Smaragdis pyropi, cum hyacynthis berilli, cum chrysolithis adamantes certant. Ita enim Civitatem hanc, ita fundamenta ejusdem ille describit, qui ipsum una cum fundamentis suis divino penicillo sibi repræsentatam vidit. Postremò denique sub *Coronæ* imagine offertur nobis cælestis beatitudo: Sed Coronæ, ut Spiritus S. loquitur, *incorruptæ*, & ut idem alibi, *immarcescibilis.* Placuit sibi variis coronarum generibus antiquitas. Qui civem servâsset, ei querna dabatur, dicta indè *Civica.* Quales olim quatuordecim Siccius Dentatus; sex, Manlius Capitolinus memoratur accepisse. Qui exercitum liberâsset obsessum, gramineam coronarum omnium apud Romanos gloriosissimam, accipiebat, *obsidionalem* indè nominatam. Qui primus murum hostilem superâsset, frondeâ donabatur, quam *muralem* vulgo ap-

nos suos. Discere item licet, malè omninò quibusdam ingeniis committi felicitatem, & melius iis fata consulere dùm premunt. Alios verò in id attolli, ut lapsu graviore ruant, & per ipsas secundas res in exitium agi, bobus coronatis similes, quos cum pompâ ad macellum lanio ducit. Calamitatem contra virtutis occasionem esse: & per ipsa adversa DEO digniores effici homines. In iisdem certè sapientiæ monumentis, velut in theatro posita intueri fas est tot virorum exempla, quos fata vexando & bonos & claros, dicam amplius, beatos fecere. Beatos, quia ab externis his bonis ad vera & solida aversi, fragilem mundanæ felicitatis bracteam contemnere cœpêre.

CAPUT XXV.

Conclusio opusculi à consideratione cœlestis felicitatis.

ROtam vicissitudinum, de quibus egimus, rectissimè nos claudere putamus, si ei sphæram cœlestem circumdemus. Quod ita fiet feliciter, cum animum à rebus inanibus ad cœlum & Divina attollemus. Horum contemplatio & juxta efficax apprehensio idoneos nos reddet, ut læto vultu omnia caduca, tanquam infra nos posita, despicere possimus. Cordubensem philosophum

juvabat inter *ipſa ſidera vagantem, pavimenta divitum ridere & totam cum auro ſuo terram.* Atque eâ in re ſummam ille ponebat felicitatem, quia alis philoſophicis altiùs evolare neſciebat. At nobis ejuſmodi cœleſtium ſpeculatio nonniſi tenuis gradus eſt ad longè majora. Quæ enim eminùs intuemur, ea ipſa occupamus ſpe, ſublimiora etiam, & ad quæ nulla oculorum acies pertingere valet, fide complectentes, tandemque favente DEO, jure plenisſimo poſſesſuri. Quod aut neſcivit, aut non credidit Philoſophus: Expers nimirùm illius Spiritûs, qui unus ineffabilia cœli bona & illas æternitatis delicias cognitas habet. Quas ut iſte nobis commendatiores redderet, ejusmodi & nominibus inſignivit & coloribus depinxit, ut clarum omninò facere voluiſſe videatur, quam longè illæ ab hujus ſeculi bonis, inaniarum *ac vanitatum* plenisſimis, diſcrepent. Primùm enim eas *theſauri* inſignit vocabulo, ſed talis *theſauri, qui nec eripi nec corrumpi posſit*: ut ſic diverſisſimus ſit ab uſitatis Principum aut aliorum opulentorum gazis, quas non cuſtodum ulla vigilantia, non foſſæ circumductæ, non aheneæ turres à manu vel aſtu humano tueri, aut â caſuum variorum incurſu, denteque ipſo vetuſtatis aſſerere poſſunt. *Hæreditatem* porrò filiorum DEI vocat, ſed *corruptionis expertem*, & nempè disſimillimam vulgaribus, quas nemo vel illibatas adit, vel integras ſervat, quin nimirùm aut deſerat eas tandem, aut ab iis ipſe deſeratur. *Civi-*

tatis

gò appellabant. In ludis porrò Olympicis qui vicisset, ei *oleagina* imponi solebat. Pretiosissima omnium erat ex auro, quæ Imperatoribus, qui triumphi honorem meruissent, mittebatur, *triumphalis* inde nuncupata. Mansitque ista etiam postea inter Christianos Imperatores Regesque ut cum regimini inaugurantur, Coronâ ejusmodi evinciri soleant. Cæterùm ut diversissimi erant generis coronæ istæ, ita magni semper omnes habitæ, summaque virtutis contentione à generosissimo quoque quæsitæ ambitæque sunt. Quod si tamen penitiùs rem consideremus, quid quæso, solidum istis coronis inest? Quæ ex foliis arborum, ex floribus, aut gramine constant, intra paucos dies virorem & pulchritudinem suam amittunt: levique digitorum attritu in pulverem vanescunt. Quas verò Regnorum seu superbia seu magnificentia contexuit, eæ quidem metalli sui firmitate, aliquantò diutius durant, sed & graves sæpè sunt ferentibus, & ut rectissimè sustineantur, tamen fortuita casuum, & vim dolumque evitare nesciunt. Minui, raptari, auferri, & ut recens experientia tristissimo exemplo docuit, unà cum capitibus Dominorum suorum decuti possunt. Et parva itaque & momentanea, & sæpè multo felle diluta felicitas est, quam ista, etsi magni æstimata humanæ seu virtutis seu dignitatis ornamenta aut signant, aut continent. At illa, quam fidis sui cultoribus Divina bonitas polli-

cetur,

cetur, conſummatæ & nullo eloquio effandæ pulchritudinis, quodque maximum, perennis eſt nulliſque temporis legibus circumſcripta, nulli vetuſtatis injuriis obnoxia. Ad hanc itaque meritò omnes anhelis animis, ſtudioque incitatiſſimo aſpiramus. Sed fruſtrà aſpiramus, ſi mundi inquinamentis, ſi vanitatum quiſquiliis hæremus affixi. Qui in ſtadio Olympico certans, ad minima quæque reſtitat, aut poſt ſe relicta reſpicit, coronam utique non obtinebit. Neque nos coronabit cœleſtis Agonothetes, niſi perruptis obicibus, amotiſque, quantum fieri poteſt, mundi turbamentis, recto conſtantique pede ad metam contenderimus.

multa deniq́; alia adversa, quanquam serenioris interdum sortis interventu diluta aut suspensa, pertulimus. Illata undiq́; Reipublicæ Polonæ Vulnera, tum & interna ejus dissidia, & ipsi domesticorum non expertes, cum dolore & damno sensimus. Vicinorum Dominiorum clades, Urbium incendia, & volantes inde in propinquo fumos ac cineres, si non oculis, nunciis tamen tantùm non cottidianis hausimus. Mare hoc Arctoum classibus insessum, ardentem Bellonæ fulminibus Oceanum, amplissima Regna armis collisa, ditissimas Europæ provincias nunc ab hoste occupatas, nunc sibi restitutas cognovimus. Vicissitudinum istarum aliquas subinde, cum per negotia licuit, annotare sum solitus, nonnullas etiam epistolis, quas ad familiares scriptitabam, inspersi. Si fata volent, quantum olei & temporis in his absumpserim, dies & typus aperiet. Reipubl. autem nostræ prospera & adversa jam dudum componi à me atq́; edi cæpêre. Cæterùm ante annos ampliùs viginti, in mediis belli Svetici æstibus, dum ex communi rerum omnium mundanarum vicissitudine *solatium & mollimentum præsentis fortunæ quærerem, libellum concepi, quo totius Orbis, & univer-*

sæ Na-

ſæ Naturæ Vices, *hominum item cujusvis conditionis, omniumq́ ſocietatum, ſacrarum, civilium, & literariarum mutationes utcunq́ conatus ſum adumbrare. Quicquid verò illud erat, quia operâ tumultuariâ & inter calamitatum nubila, genio parùm ſereno, videbatur natum, in tenebris paſsus ſum hactenus latere: neq́ nunc produceretur, niſi amicis quibusdam id apprimè placuiſſet: qui iidem aliis etiam ipsâ rerum varietate placiturum judicabant. De horum igitur Conſilio jacta eſt hæc* alea, *& eo ipſo nomine ſe publicæ luci infert libellus: haud dubiè grandi varietati ac velut* aleæ *judiciorum futurus obnoxius. Te tamen,* illuſtris Civitas, *in cujus, ceu Matris gremio hæc nata ſoboles eſt, propitiam, ſpero, habebit, quia & ipſa in eo* Vices *mundi contemplans*, tuas, *quas Dei permisſu, dudum experiris, æquiore animo perferes, & omnium calamitatum in melius* mutationem, *ex variabili ac fatali rerum omnium conditione, eò majore fiduciâ Tibi polliceberis. Mihi, antequam DEUS, poſt continuatas tot annis placidi convictûs teſſeras, nos ſeparet, hoc qualecunq́ mei erga TE affectûs mnemoſynon relinquere viſum*

eſt:

est: nec futurum credo, ut ulli temporum vicissitudini *in mutuam inter nos amicitiam quicquam liceat.*

Quod restat, valere Te, Urbs celeberrima, *cupio, optans ex animo, ut salva & incolumis, felici ope etiam Catholicos, secundùm Jura, tuearis, paci concordibus animis studeas, majoriq; semper* Cæli Terræq; *favore efflorescas. Dabam 20 Apr. Anno nati Servatoris M DC LXXX.*

TUÆ INCOLUMITATIS

Cupientissimus

JOACHIMUS PASTORIUS,
de HIRTENBERG, Canon. Chelm.
& nominatus Varmiensis &c. S. R. Maj. Secr. & Commiss.

nie należy do tego dzieła

MEDITATIONES
Super
Historiâ Passionum
CHRISTI SERVATORIS.
CAPUT I.
Proxima occasio capiendi & affligendi Christi, est Lazari è mortuis resuscitatio.

Nulla mihi miseram breviarunt crimina vitam,
Ipsa sed accelerant grandia facta necem.
Te dum reddo tibi, mea, Lazare, fata lacesso;
Causa mihi mortis, Lazare, vita tua est.

EX quo Christus, Servator noster, sacrum muneris sui curriculum ingressus est, perpetuis multorum odiis, convitiis, variis denique malis ac discriminibus infestum illud habuit. Populum equidem alicubi ita partim demulserat beneficiis, partim docendi autoritate, & divinis suis operibus perculerat, ut & catervatim ipsum subinde sequeretur, & aliquando Regios ei titulos deferret. Sed primores Judæorum, inprimis illos, qui sacrorum regimen cum Reipubl. curâ conjunxerant, adversissimos plerosque expertus est. Ac odia istorum

ipſe plebis favor aſperabat, adeò ut tantò obnixiùs premendum illum putarent, quò majoribus multitudinis ſtudiis proveheretur. Sæpè autem antehâc ſaluberrimæ, quas ſubinde ſeu ultro, ſeu laceſſitus dederat, admonitiones altisſimè illos vulneraverant: ſolito apud flagitioſos more, ut eorum faciliùs plerumque animum irritent, quàm ægritudinem ſanent remedia, ubi inprimis illi opinione ſanitatis ſibi & morbo ſuo blandiuntur. Nonnunquam parùm abfuit, quin præcipitiis, aut lapidationibus ſanctisſimæ ejus parænesſes penſarentur. Sed nunquam tamen adhuc publico decreto vitam ejus appetere ſuſtinuit Senatus. Poſt Lazarum demùm reſuſcitatum eò immanitatis prolapſus eſt. Miraculum id grande admodùm, & non longè ab Urbe Principe editum erat, adeò ut latè percrebeſceret in populo, & multorum oculis ſubjectum, pectora ita penetraverat, ut non pauci hinc moti, Chriſto ſe addicerent. Id ferre ampliùs Proceres illi non posſunt. Eripere & ipſi Lazaro vitalem parat lucem, cui nuper demum beneficio Chriſti reddita erat, ne videlicet in conſpectu publico verſaretur; in quo reſuſcitato, Divina Chriſti vis, adeò magnificè ſplendeſceret. Sed inprimis quoq; autorem tam ſtupendi facinoris vitâ lucre cupiunt beneficium ſuum. Autoritatis ſuæ & Reipubl. intereſſe putant, ne magnus iſte prodigiorum patrator vivat ampliùs. Metuunt ſcilicet, ne attracto ille populo novum Principatum agitaret, qui & ipſo-

ipsorum luminibus vehementer obstrueret, & Romanorum denique arma in Judæam conciret. Ita specie boni publici inducuntur isti, ut in Christi vitam conspirent, quâ extinctâ non dubitabant, Regni quoque, quod ille moliretur, finem fore. Haud reputantes scilicet, à casu resurrecturum hunc majorem, & mortem ipsam non fore ei nisi maximi incrementi viam,& æterni januam Imperii. Quicquid sit, haud sacrarum adeò rerum studio incitantur illi homines ad extrema Christo inferenda: sed profanis potissimùm stimulationibus in furorem istum aguntur. Parùm providi, parùm rei politicæ intelligentes fore sibi videbantur, nisi nunc ille premeretur, dùm opprimi posset. Quò major mora crescenti daretur, hoc mox adultæ & prævalidæ potentiæ ejus minùs se pares fore arbitrabantur. Sed ô quàm caligat sæpè prudentia humana, ubi acutùm se videre existimat! Quàm fallacibus umbris in consilia impellitur, non absurda tantùm, sed & summè noxia! Quàm deniq; solâ suspicione in maximum scelus se patitur abripi! Non erat profectò, cur politico Regimini suo, periculosum isti crederent CRISTUM; non erat, cur Patriæ suæ quieti, per mitissimi & Sanctissimi mortalium ruinam irent consultum. Non is unquam enim politica mundi sceptra affectavit: imò honores ejusmodi omnes, etiam cùm ultro offerrentur, respuit. Illud verò, quod sibi vendicabat Regnum, animos à mundi curis honoribusque ad

quærenda cœleſtia, ad virtutem omnigenam, modeſtiam inprimis & patientiam, atque ipſam etiam obedientiam Magiſtratibus præſtandam, ſtimulabat, ſtringebatque; Romanos verò, cœlum cuilibet facilè concedentes, dùm terram posſiderent, haud quaquam id poterat offendere. Saltem iis non hoc Chriſti regnum, ſed illud potiùs, quod ipſi Judæi ſpirabant ſperabantque, futurum erat adverſum. Talem quippe Mesſiam præſtolabantur, qui Judæis libertatem, Romanis plurimùm damni eſſet allaturus. Quàm improbi iſti homines ſunt! Chriſto per calumniam affingunt, & capitale faciunt crimen, quod ipſi intra animos moliebantur asſiduò; cujusque cogitatione omnem ſervitutis miſeriam unicè ſolabantur, nihil aliud avidioribus animis indies proſpectantes. Neque verò Proceres iſti ignoratam ſibi innocentiam Chriſti, aut non agnitam muneris autoritatem divinam poterant obtendere. Viderant jamdudùm audierantque tùm inculpatisſimos mores, tùm irrefragabilem ſapientiæ vim, tùm illuſtria admirandaque maximè facinora ejus: Omnia utique majora, quam ut homini tribui; ſanctiora, quàm ut Dæmoni poſſent. Unde & aliqui iſtorum (teſte Sancto Johanne) eò adducti jam erant, ut de Chriſto non malè ſentirent, imò & doctrinam ejus occulto aſſenſu approbarent. Non de ſe ſolo loquebatur Nicodemus, cùm diceret: *Scimus te à DEO miſſum veniſſe. Nullus enim ea miracula facere poteſt, quæ tu facis; niſi DEUS*

ſit

sit cum ipso. Ac iste vir, vitæ instituto Pharisæus, dignitate verò Princeps populi, uti anteà præ aliis æstimaverat Dominum; ita nunc, si non aperto, tacito saltem, sed undique tamen præfulgente dissensu, cum paucis opinor aliis, improbabat, quæ in innocentem struebantur. At prævalebant numerô, potentiâ, adde & fervore agendi audaciâque illi, qui obducto conscientiis suis callo, excussâque tùm doctrinæ sanctissimæ, tùm miraculorum reverentiâ, Christum vel fastidierant aspernabundi, vel ut hostes oderant, animum infensum speciosis insuper publicæ utilitatis nominibus stimulantes velantesque. Ita ut sic optimè se de patriâ suâ mereri existimarent, si maxima Christo, etsi non merenti, mala intulissent. Satis id vel ex ipsis summi Pontificis verbis elucescit. Cùm enim is decretoriam de Christo ad supplicium quærendo sententiam ferret, non aliam affert causam, quàm *quia conducat populo, unum hominem pro populo mori.* Quasi dicat: *Sit ita, non commisisse istum virum quicquam morte per se dignum: attamen, quia occasio esse potest publicæ calamitatis, si scil. numerosiorem ejus factionem conspicati Romani vim & arma nobis inferrent, satius est eum solum perire, quàm populum hunc universum* Hæc opinor, mens loquentis erat: quanquam verba, Spiritu Divino lingvam regente, ita concepta fuêre: ut alium longè meliorem sensum continerent, quam quem Pontifex animo comprehendisset. Magna itaque, & inexcusabilis est istorum omnium erga Christum Domi-

num injuſtitia, atque immanitas. Sed graviorem eam reddit ipſa extrema occaſio, quâ in cædem ejus tandem impulſi ſunt. Beneficium ſcilicet Lazaro præſtitum; beneficium, quô nemo grandius atq; admirabilius edere potuit, id urit iſtos homines, ut de tollendo eo, qui id præſtiterat, conſilia ineant. Magno documento innocentiæ Chriſti, cui vita homini reſtituta crimini datur, & mortis cauſa eſt. Scimus olim etiam ſacro populo Prophetas non æquè ſemper gratos fuiſſe; ſcimus aliquos multis malis, aliquos & morte dirâ affectos; at plerumque ob ſeverè caſtigatos mores, ob tacta liberiùs ulcera Principum, Sacerdotum, plebis. Sed ob morbum curatum, ob vitam alicui redditam, non memini cuiquam periculum creatum, vel intentatam mortem. Hic Chriſtus ad ultima crudelitatis exempla damnatur, quia amicum ſuum, in ſepulchro jam fatente in vitam revocat; quia Divinæ poteſtatis ſuæ ſpecimen illuſtre præbet. Quo ſcilicet caritatem omnium, admirationem, gratias, honorem, conciliare ſibi debuit: id ei fraudi, id occaſioni hoſtibus eſt & ſtimulo ad odia extrema, & quæ ſatiari niſi ſangvine & vitâ effusâ non potuêre. Diſcamus hinc mortales animi ingrati vitium, tantò vehementiùs odiſſe: ut præcipuum ſcilic. eorum, quæ Domino noſtro adeò acerbam morrem concivêre, tùm uti crebrum adeò, adeò pervagatum inter homines, ut inter prima perferendum occurrerit Servatori. Alia flagitia eò potisſimùm capiunt posſidentq;

sidentq; genus humannm, quia plerumque naturæ quodammodo blandiuntur. Hoc naturæ repugnat, & tamen evictâ quasi illâ, latè adeò regnat, regnavitque semper. Quo enim seculo benè egisse malè non expetiit? ecquando non reperti sunt homines, quos virtutis & amoris specimina, ad gratiam referendam, adeò non commoverint, ut ad injuriam potiùs inferendam irritarint. Malum malo retaliare usitatum vulgò, & ut vetitum sit, veniæ tamen facilioris, & ipsâ quodammodo lege naturæ excusabile videri queat. At excusationem excedit, omnemq; non humanitatem tantùm violat, sed & inhumanitatem illa supergreditur improbitas, quæ non solùm benè merito pro laude debitâ ignominiam; pro gratiâ injuriam rependit: sed & eò prolabitur, ut beneficium unà cum Autore suo pessimis exemplis jubeat perire.

CAPUT II.

De tempore Pasfionis.

Cùm pura, Isacidæ, poscat sibi pectora festum,
Redditis an letho pectora pura meo?
Crimine parta salus vestro est: Pretiosus hic Orbi,
Sed gravis, ah! vobis, credite, sangvis erit.

COnsideratione quoque dignum est, quo tempore tragædiam suam in Christo peregerint Judæi. Non parum enim id facit ad perspiciendam facti indignitatem: sed ad Providentiæ quoque

quoque Divinæ ductum simul agnoscendum. Cùm prima consilia inirentur de occiso Servatore, obtinuerat sententia, non in die festo aggrediendum esse facinus. Additur ratio, ne tumultus fieret in populo. Nempè tot beneficia Christus passim per Judæam & Galilæam omnem sparserat, tot & documenta dederat divinitatis suæ, ut nusquam non fautores, & asseclas suos haberet; inprimis, quemadmodum diximus, in populo, qui ut artium rudior, facta quæ videt, simpliciùs, & citra malevolentiam æstimat. Hunc undique jam, etiam ex longinquis locis coiturum, timent Principes illi, qui in Christi necem conspiraverant. Verebantur enim, ne intercederet illa plebs consiliis ipsorum, & pro Christo, tanquam pro summo Doctore Prophetaque, imò & pro Messiâ pugnare auderet; ac comprehensum, vel de manibus ipsorum tentaret eripere. Ita nec destinata sua assecuturi erant, & autoritati non exilem inusturi labem. Posteà enim similia ausura videbatur plebs, si semel benè illi evenisset audacia. Malunt itaque elapso Paschatis festo, & digresso demùm populo, aggredi destinatum opus. Sed pro dante se rerum opportunitate, mutant illi consilium, & scilic. prout in alto ventus est, ita velum vertunt. Cùm Judas operam iis suam offerret, non passa moram est indignatio, quâ adversùs Servatorem flagrabant. Nihil jam pensi habent, quid antè inter se decreverint: utrâque manu oblatam occasionem arripiunt. Neque illos festi

instantis sanctitas deterret, aut remoratur â proposito. Non verentur ad solenne epulum accedere ánimis à fuso innocentissimo sangvine calentibus. Credere imò fas est, bellum hoc lustramentum, & quasi piaculum visum esse, quô ad magnum illud Paschatos sacrum se præpararent. Inter purgamenta scilicet Urbis suæ, *Sanctum illum* Dei numerabant scelerati homines: quem si adeò unà cum fermento veteri sustulissent, sanctiùs se celebraturos Pascha suum credebant. Ita illi delirabant odio in Christum, & præpostero in Religionem suam studio occœcati. Sed DEUS, qui flagitia, cùm vult, permittit; sed simul, quò vult, dirigere solet; alium, quàm isti, habet scopum sibi propositum. Volebat quidem mori Filium suum pro mundi peccatis; volebat etiam circa Agni Paschalis festum mori: sed minimè eô, quem sibi Judæi fixerunt, fine. Debuit ex Patris decreto hoc tempore Christus mactari, sed ut veterem Agni Paschalis ceremoniam antiquaret, ipse scilicet verissimus Agnus; cujus antiquus ille umbra tantùm erat. Immolandus nunc erat, sed ut tantò conspectior, tantòque illustrior mors ejus esset, quæ præsente omni penè gente Judæa contingeret. Neque enim debuit in abscondito, aut paucis spectantibus mori; qui pro universo mortalium genere moriebatur.

CAPUT III.

Paſſionis primus agon, & quaſi breviarium in horto.

Pertremit inſtantis Servator imagine fati,
Et mens mirificis concidit icta modis.
Durum incumbit onus. Corpus quæ ſingula ſenſit,
Cuncta ſimul ſiſtit mens patienda ſibi.

AFflictiones, quas Chriſtus pertulit, non improviſæ illi acciderunt. Jamdudùm eas præſenſerat, & non ſemel Diſcipulis ſuis apertisſimè, nec obſcurè cæteris etiam Judæis ſignificârat. Interim quamdiu extremam horam longiùs abeſſe ſciret, minùs quoque eâ affici viſus eſt. At ubi inſtare tempus ſenſit, nihil quidem uſque etiam, quod ſuarum rerum eſſet, neglexit; non migravit etiam fines officii, ſed incredibile tamen dictu eſt, quàm fuerit perturbatus. Nunquàm luculentiùs oſtendit Hominem ſe eſſe. Nempè nunquam altiùs quoque ſe ſubduxit & quaſi abdidit Divinitas ejus. Sibi homo Chriſtus relictus eſt, ut pateret, quò imbecillitatis homo, ſine peccato tamen, devenire queat. Circumdata eſt anima ejus mœrore ſummo, & quo morientium major eſſe angor non poteſt. Procidit in faciem coram DEO, quod certè maximæ ſolicitudinis, & trepidantisſimæ religioſitatis ſignum eſt. Sudat ſangvinem, quod non niſi rarâ & prodigioſâ in anxietate fieri ſolet. Orat Patrem,

ut

ut gratiam sibi facere velit imminentium malorum: deprecatur mortem, quam sciebat sibi longissimâ DEI destinatione decretam. Sed deprecatur ita, ut naturâ insitam malorum mortisque aversationem, at simul mox suam DEO parendi promptitudinem testetur. Interimen mortem omnium horribilium horribilissimum esse, non Philosophia tantùm docet, sed Sapientia ipsa jam hîc ostendit. Non potest eam imminentem sine tremore etiam is excipere, qui morte suâ mortis horrorem miseris mortalibus dempturus mox erat: qui & mortis ipsius se mortem fore sciebat. Quid vult ergo sibi ista adeò ingens animi trepidatio? Quid in DEI Filio tam admirabilis & hominibus ferè inusitata anxietas? Causas ejus rei omnes scire aut evolvere ingenio humano vix forsan licet: sed potissimas mihi visas dicam. Primò noluit DEUS obdurato ita aut stupido ad mortem animo Christum esse, ut non sentiret mala sua. Minor in illo laus fuisset patientiæ, si velut cadaver ante mortem factus, ad imminentium calamitatum cogitationem non cohorruisset. Quid verò etiam magni præstitisset Servator illo animi non robore, sed rigore, quem alii insitâ naturæ duritie, alii Stoicæ Philosophiæ supercilio, alii pravo famæ ambitu, alii potu etiam narcotico assecuti sunt. Sæpè & desperatorum hominum illa ἀναισθησία est, ac ut humanitati aliena & quodammodo inimica est, ita in perditissimis nonnunquam mortalium cernitur. Reperti sunt

patrici-

parricidæ, qui inter tormenta ſua riſerunt: alii ſupplicia corporis ſui adeò immoti ſpectarunt, ac ſi alienum corpus lancinaretur. Iſtam quaſi feritatem conveniebat abeſſe à Chriſto, qui humanitatem exuere nunquam debuit. Præterea ex decreto DEI ferendum erat Chriſto, quicquid gravisſimum ſuſtinere homines poſſunt: quia ſcilicet ille peccata generis humani ferebat, eorumque victima piacularis erat: & deinde ut omnia triſtisſima expertus, & malorum ſcilicet non ignarus, tantò membris ſuis promptius poſteà ſuccurreret. Jam quid graviùs, quid acerbius contingere homini poteſt, quam ejusmodi animi angor, ubi nihil auxilii de cœlo, in terris omnia infeſta tibi ſentias? ubi dirus carnifex, metus, corporis membra omnia immani concutit horrore, ubi ſangvis in ima pectoris recurrens premit ſtrangulatque ægrè meantem ſpiritum; exprimens ſimul ſudorem, qualis in gravisſimo certamine, in moleſtisſimo labore vix posſit aut ſoleat erumpere. Vivi tales plùs aliquid quàm mortem ſentiunt. Uti equidem ſemper gravior morte eſt mortis metus, mortis inprimis non vulgaris, ſed quam ſcias non cum cruciatu tantùm, ſed cum ignominia ſummâ fore conjunctam. Ignoratum mortis genus fortè leviorem illam facit: at ſi ejus varios, ſi gravisſimos, & alio ſubinde alioq; modo iterandos ictûs, præſcia futurorum mens, ad ſupplicium imminens eunti, ob oculos ponat; is non poteſt non atrocisſimè commoveri, cocuntibus

bus scilicet intra pectoris angustias, & in unum momentum omnibus illis formis malorum, quæ ex intervallo ingruentia faciliùs postea tolerantur. Ad hunc itaque modum Christus quoque triste & horrendum planè omnium suarum passionum præludium ac quasi compendium hîc habet: & scilicet in horto, intra se animumque suum, juncta quodammodo mala sensu gravissimo perfert, quæ singulatim mox à Pontificibus, Herode, Pilato, militibus & plebe inimicâ, quæque in ipsâ denique Cruce passurus erat.

CAPUT IV.

De iis quæ Christus passus est à suis Discipulis.

Discipulus Dominum prodit, negat alter, uterq;
Perdolet, ac odit crimen uterq; suum.
Ille luit jugulo, lachrymis scelus eluit alter,
Hic vitam lachrymis invenit, ille necem.

DIræ licet, non adeò tamen insignes fuissent afflictiones Christi, si non, nisi à juratis hostibus exercita fuisset patientia ejus. Ad fastigium illarum pertinebat, ut in suis quoque reperiret Magister, quod ipsum acriter ureret affligeretque. Et profectò acerba sunt, quæ passus est Dominus à nonnullis eorum, quos plurimà prosecutus erat curâ, atque amore plane paterno. In horto quantam trium illorum, quos charissimos semper habuerat,

habuerat, experitur ſocordiam? cum altisſimo ſubinde ſomno indormiſcerent, utcunque à Magiſtro de inſtante periculo admonerentur, utcunque ipſum adeò anxium, adeò intimis animi doloribus afflictum langvidumque viderent. Non movet illos ultimum Domino imminens diſcrimen, & aut non credunt illud, aut ad animum non revocant: ſui etiam incurii, cum & ipſis à Dæmone inſidias ſtrui ex Chriſto audiiſſent. Sed condonari iſtis utcunq; posſit ſegnities, carnis ſcilicet imbecillitate excuſata, quam ipſe benignus Magiſter agnovit, dignamque veniâ putavit. At gravius eſt, quod Petrus in Chriſtum admiſit crimen. Unus is trium illorum, qui intempeſtivâ dormitatione offenderant Dominum, ſed idem anteſignanus quodammodo diſcipulorum omnium erat, ut qui ætate, præſentiâ animi, aliisque dotibus & privilegiis cæteros ante ibat. Nunc etiam in ipſo ſubeuntium Chriſti Pasſionum ingreſſu, multâ de ſuâ per extrema quævis Magiſtrum ſecuturâ conſtantiâ fidentisſimè erat pollicitus. Quin & ubi ab hoſtibus manus Chriſto injici cœperat, ſtricto non impigrè gladio, ad vim arcendam proruperat. At idem quàm mox animo collabaſcit? Quam & à ſe & à Magiſtro paulò poſt deficit? quibus execrationibus non familiaritatem tantùm, ſed & notitiam Heri ſui ejurat? Et tolerabilius id videretur, ſi vel ſemel tantùm, vel non ante monitus, tanta ſe labe polluiſſet. Poterat enim faciliorem mereri veniam, ſi ſubitus formidinis

impetus

impetus voces ejusmodi incauto expressisset. Sed ipsum præmonuerat Dominus, & tamen ei non est cautio, ut scopulum evitaret, adeò diligenter & cum curâ monstratum. Porrò autem adeò is sui, Magistriq; obliviscitur, ut nec post primum quidem lapsum recordetur monitionis Herilis, aut seipsum revocet in viam, à quâ turpiter exorbitasset. Progreditur ille in pessimo facinore, crimen crimini addit, & cum nocte procedente in deterius præcipitat. Neque enim satis ei erat ad primum ancillæ incursum negasse, notum sibi virum esse, qui tum tragædiæ argumentum erat. Mox cùm alia ancilla idem clamaret, juramentum addit negationi. Nec hoc satis. Post aliquod intervallum, cum plures ipsi familiaritatem Christi objicerent, diris se obligat, ut persvadeat insimulatoribus, sibi nihil commune esse cum Christo. Adeò miserum istum Petrum diu caligo peccati tenet; adeò tempore sat longo obsopitus manet, ut lapsus semel atque iterum, nec dum tamen agnoscat, nedum emendet facinus suum, sed augeat usque & majore identidem pondere accumulet. Iteratus demum Galli cantus, tum inprimis etiam reflexus Christi ad ipsum vultus excitat in homine & memoriam antè factæ admonitionis, & sensum sceleris sui, mox & lachrymas excutit, & aulâ, quæ ei in lapidem offendiculi cesserat, exigit. Magnum iste documentum præbet mortalibus imbecillitatis suæ, pronæ admodum in lapsûs & tantò turpiùs sæpe titubantis,

bantis,

bantis, quantò fidentius viribus ſibi ſuis placuit. Sed idem quoque ingens in ſe divinæ clementiæ ſpecimen nobis exhibet, cum non minus lachrymæ reſipiſcentis DEUM ad gratiam movent, quàm crimen deviantis ad iram ſtimulârat. Cæterùm diſcipulorum omnium atque etiam Petri lapſum inumbrat unius Judæ ſœlus. Ille pariter cum reliquis biberat hactenus Chriſti præcepta, ille non minus ei asſiduus aſſecla, viderat & mores innocentisſimos, & vim ſpiritûs omni humanâ majorem perſpexerat. Haud quaquam tamen homini is Chriſti amor, ea admiratio ſedit, quæ virtuti, quæ admirandis operibus, quæ beneficiis ejus debebatur. Magis, ut apparet, ipſum amor marſupii, quod commisſum ei erat, quàm veneratio Domini, quàm doctrinæ ſaluberrimæ cupido tenuerat hactenus in contubernio Chriſti. Satis id jam pridem patuit, cum furti compertum fuiſſe non obſcurè indicent reliqui, qui noſſe eum ut condiſcipulum poterant: cum & ungventum pretioſum, Chriſti corpori, piæ mulieris liberalitate affuſum, adeò doluit, non facturus id, ſi Chriſti vel dignitatem rectè cepiſſet, vel juſtum hauſiſſet amorem. Sed nempè moleſtum erat homini, ungvento adeò nobili imbui illum, quem prodere moliebatur, & ad mortem ita præparari, cui accelerandæ manum erat præbiturus. Uti ſanè paulò poſt homo ſceleratisſimus præbuit. Cum enim olfecisſet, quæri Dominum ad ſupplicium, & capiendi ejus iniri

conſi-

consilia, non alium passus est occupare scelus, quem id minùs contaminasset. Ipse sponte, & solâ nempe auri sacrâ fame impulsus, offert operam suam Pontifici & Synedrio. Licitatur perditissimus mortalium caput Domini sui. Et triginta sicli sufficiens ei pretium visum est, quo venderet Magistrum, à quo nulla unquam injuriâ, maximis autem semper beneficiis affectus erat. Tantum potest avaritia, ubi hominem mancipavit sibi, adeò percellit auri splendor oculos, adeò virtutem & omnem bonam mentem quasi incantamento quodam expectorat! Magno autem gaudio ab hostibus Christi suscipitur hominis improbi opera. Lætabantur nempè Sacerdotes, esse inter Christi discipulos aliquem, cui, adeò doctrina ejus sorderet, adeò contra allubesceret pecunia, ut proditionis facinus, quod etiam, qui recipiunt, abhorrent, aggredi non vereretur. Nec faciliùs compotire voti sui posse videbantur, quàm ejus ministerio, qui & nosset Dominum, & quibus locis frequens esset, non ignoraret, sectatores deniq; ipsius omnes deferre posset. Ille acceptis pecuniis, adscitâque militum manu, rectâ ad Christum tendit, & cum in horto ad extrema se præparantem deprehendisset, adiit primus Domini manum, & osculum figit Magistro; id militibus summi sceleris signum præbens, quod pacis atque amoris pignus esse solebat. Per speciem scilicet amicitiæ adrepit Christo, cui omnia inimica intra pectus machinabatur.

batur. Adulator priùs eſt, quàm ſit homicida: pulchrâ ſane notâ adornans hominibus aſſentationis vitium, quo filium DEI homo feralis, Ducem aſſecla, Magiſtrum diſcipulus, juratorum ejus hoſtium libidini atque arbitrio tradidit. Et iſte quidem proditus ita, inter diras Judæorum accuſationes & gentilium manus, patitur, quidquid genitoris DEI nutus permiſit, & redimendi generis humani requiſivit ſalus. Sed proditori nequiter provenit flagitium ſuum. Non crediderat ille tam crudeliter à Judæis exceptum iri Dominum. Excantaverat ei mentem lucri cupido, ut non cogitaret, quorſum evaſura eſſet immanitas hoſtium Chriſti, ubi eum in poteſtate ſua habuerit. Nunc videt, durisſima quæque infligi & extrema imminereHero innocenti. Introſpicit ſcelus ſuum, cum peractum jam erat: ſubit commiſeratio Domini, ſimul & odium pretii, quo eum vendiderat; ſubit denique tædium ſui, & indignum ſe putat, qui Hero prodito ſuperſtes ſit. Reddit argentum iis, à quibus acceperat: fortè ſperans reddituros quoq; iſtos, quem ipſis tradiderat. Sed illi & in Chriſto affligendo pergunt, & proditorem ſuis intemperiis relinquunt. Qui ſibi jam hoſtis, & ferendæ ſceleris ſui magnitudini impar, infelicem denique jugulo manum infert, & ſuſpendio cervicem frangit: merente prorſus gravitate flagitii, ut tanti Domini, & tam benè meriti Magiſtri ſui proditor, cum alium non haberet Carnificem, haberet ſeipſum.

CAPUT

CAPUT V.

Chriſtus apud Pontificem ſummum falſis accuſationibus oneratur.

Siſtitur ad magnum, turbâ ducente, Senatum
Chriſtus, & hîc mortis dicitur eſſe reus.
Quid fieret meliùs, Judex ubi livor & ira eſt?
Hoc nequit abſolvi Juſtitia ipſa foro.

CUm proditoris Diſcipuli miniſterio in manus Judæorum traditus eſſet Servator, primò omnium deducitur ad ſacrum tribunal. In quo præſidebat ſummus ſacerdos, aſsidentibus aliis ſacerdotum, ſeu familiarum ſacerdotalium principibus, Phariſæis, Scribis item, nec non Senioribus populi. Ex his enim conſtabat tum ſummum gentis Judaicæ Synedrium: potisſimas ſcilicet, ut apparet, in eo partes tenentibus viris ſacris. Audito nomine ſacerdotum, credere quis poterat, bono loco fore cauſam Chriſti, qui hominibus legum gnaris, & jugi ſacrorum tractatione ad lenitatem manſvefactis primò ſiſtatur judicandus. Et ſanè ſi ſine odio & præjudicio Chriſti divinisſimam originem, facta & vitam examinaſſent, non poterant non & innocentem pronunciare, & dimiſſum colere, ac venerari eo honore, quo neminem alium mortalium. Sed nempè jam pridem iſti nihil lene, nihil amicum ſpirabant in Chriſtum: & ſtat ille hic coram judicibus internecino dudum odio

erga ipſum flagrantibus. Unde non poterat hîc abſolvi, quem illi jam dudum magno conſenſu inter ſe prædamnaſſent. Nihil jam reſtabat agendum, quàm ut publicè coram judicio proferretur ſententia, quam antè dudum conceperant, & ſubinde, ubi occaſio tulerat, prompſerant, privatim publicèque. Volunt legitimè & ordinariâ fori judiciorumque viâ condemnari Optimum hominum; & nempè antequam vitam adimant, majus vitâ bonum innocentiam quærunt ei adimere. Sedet itaque jam judex Supremus Pontifex, homo avarus, & qui Magiſtratum malis artibus adeptus; non melioribus tuebatur; Adſunt alii ſimilis farinæ, alibi identidem diſcordes, moribus ſolis & in Chriſtum irâ graphicè hîc convenientes. Ut ritè procederet res, conquiruntur teſtes, capitale aliquod crimen Chriſto objecturi. Prodeunt non pauci ſeu odio Chriſti, ſeu ut gratiæ Judicum velificarentur. Sed illi diſſenſu mutuo abeunt irriti. Tandem alii duo ſurgunt, qui Chriſtum deſtructionem templo minatum fingunt: dixiſſe illum mentientes, *poſſum deſtruere templum iſtud, & intra triduum aliud ædificare*: cum ejus verba longè alia fuerint. Dixerat enim *ſolvite templum hoc, & intra tres dies erigam illud*, & de templo non illo Urbis publico propriè, ſed corporis ſui, locutus erat. Chriſtus autem falſæ & nonniſi in malignè detorto corruptoque ſermone nixæ accuſationis vanitatem ſilentio arguet: non dignam ſcilicet ejuſmodi inculpatio-

culpationem ratus refutatione. Quam & nihil sibi profuturam noverat, obduratos & iniquos sibi istos Judices satis antè, & jam recèns expertus, cum de doctrinâ & discipulis ipsius quærenti Pontifici fidentius respondisse visus, à milite, inspectante & non improbante Pontifice, percussus esset. Sed & tacente Christo, Synedrium ipsum duorum istorum testium haud satis vel conveniens, vel ad rem conficiendam validum testimonium judicavit. Quare ipse Pontifex summus, sciscitando aliquod ex Christo elicere tentat telum, quo ipsum jugulet conficiatque. Juramento ipsum obligat, ad profitendum, *an sit ille Christus, ille filius DEI.* Christus eam quæstionem silentio absolvere, nihil aliud fore existimat, quàm causam suam prodere. Id quærebatur enim, in quo cardo omnis autoritatis suæ & muneris sui vertebatur. *Ita est*, respondet Servator, *sum Christus ille, ille Filius DEI benedicti. Et si nunc mihi fidem non habetis, videbitis tamen olim, & re ipsa sentietis, me ad dextram Patris infinitâ potestate omnia regentem, videbitis deniq; etiam super nubibus cœli ad judicium redeuntem. Tum qui me jam judicatis, stabitis judicandi: & sententiam meam tremebundi expectabitis, qui nunc mihi innocenti adeò superbè & iniquè insultatis.* Verissima omnia & citra injuriam cujusquam, nec sine divinâ energiâ dicta, ad meliorem mentem promovere debebant Pontificem. At eum efferatiorem & ex insano, quod ille ait, longè insaniorem effece-

runt. Lacerat is illicò vestem, quod fieri solebat, quoties aliquid contumeliosum homo Hebræus dixisset. Simul exclamat, impiè in summum Numen locutum esse Christum, suisque adeò verbis seipsum condemnasse; ut aliis non opus sit convictoribus. Acclamant illicò reliqui, mortis reum esse. Unde nihil jam non licitum sibi in illum, ut damnatum, etiam vilior turba autumat. Alii conspuunt Sanctissimam ejus faciem, alii ob nuptum ejus caput ludibriis, pugnis flagrisque impetunt. Nempè pro hoste DEI proclamatus, omnium hominum hostilitate dignus videbatur. Discamus hinc, Christiani, quàm temerarium, magnorum etiam quandoq; hominum in vero à falsis discernendo, judicium sit; nisi â S. Spiritu regatur: Quamque facilè fieri possit, ut pro inimicis DEI habeantur, qui ei sunt carissimi. Nulli certè in persequendis aliis præcipitantiores sunt, quàm qui â DEO deserti, quovis affectuum vento aguntur. Hi ubique lapsabundi, graviter etiam tum errare solent, cum errores aliis impingunt, damnarique ipsi damnando maximè merentur.

CAPUT VI.

Christus ad Pilatum & deinde ad Herodem ducitur.

Ducit ad Ausonium gens sacra tribunal Jesum;
Mox & ad Herodis mittitur ille domum.
Impia turba strepit; silet hic, tamen esse probatur
Insons, sat causam vita silentis agit.

Cum

CUm jam mortis sententiam, etsi per summam iniquitatem, in Christum tulissent deserti â Numine Patres Synedrii; de exequendâ illâ jam denuò capita conferunt. Dolo illum tollere, aut populi arbitrio permittere, non ê re esse videbatur. Ipsis autem capitalium suppliciorum jamdudum à Romanis adempta erat potestas. Itaque Pilato, ut Præsidi suo, ut Imperatoris vices gerenti sistendum illum ducunt: DEO id permittente, ut tantò conspectior esset filii sui mors, & luculentior innocentia. Primùm autem poscere à Pilato videntur, ut non auditâ causâ condemnaret Christum: fisus scilicet præjudicio concilii Hebræi, quo jam is capitalis flagitii convictus esset. Cùm ille inauditum supplicio addicere nollet, crimen indicant, ob quod jugulum ejus appetant. Quod autem illud? *Seditiosum, & assumpto Regio nomine Cæsari tributum negandum dicere*, clamant. Grande scelus, si vera dixissent, sed grandis quoque calumnia, quia falsa dixere. Quid speciosius proferri poterat coram viro Romano & Romanæ Majestatis in hâc provinciâ magno custode, quàm dicere, involasse Christum in jura Imperatoris, cujus sub potestate erat? Nihil tenerius amant, nihil religiosius defendunt, quàm dominationem suam Principes, neminem vehementius odêrunt, quàm qui eam vel cogitatione, nedum opere delibet.

Non regna ferre socium, nec tædæ queunt.

Neque id ignorant, qui personam illorum in provinciis sustinent. Hi ut ipsi suspiciones pravæ cupiditatis imperandi longius à se amoliantur, ejus etiam umbram in aliis rimari ac suppliciis multare solent. Nec Pilatus iste securâ aure objectum hoc crimen transmittit: Sed sciscitatur mox Christum, num *Rex esset*? Ille, quod res erat, fatetur, *Regem se esse, sed non hujus mundi, non sceptra terrena, non opum vel honorum inania, qualia homines affectent, captantem.* Quasi diceret, *Regnum suum Romanæ magnitudini nihil quicquam officere, quippè quod merè spirituale sit, hominesq; ad DEI reverentiam, ad virtutum omne genus, ad magistratûs etiam cultum adducat.* Si Christus culpam objectam non amovere tantum à se, sed in accusatores etiam derivare voluisset, poterat id sanè facere summô jure. Etenim ipsi isti hostes Christi Messiam ejusmodi opperiebantur, qui militari externâque potentiâ validus, asserere ipsos posset in libertatem, atque à jugo Romano eripere. Et ideò maximè respuebant Christum, qui Messiam se esse ferebat, expers ut videbatur, virium opumque, quibus populum Judaicum in eum splendorem potentiamque evehere posset, qualem illi sperarent. Sed Christus, etsi benè gnarus istarum rerum, ne ultionis studio ægrè ipsis facere velle videretur, dissimulat reticetque spes ac consilia ipsorum, multum profectò offensura Romanum Præsidem, si in apertum fuissent prolata. Iste autem, quid regni istud sit, quod Christus sibi

vendicet,

vendicet, intelligens, haud quaquam eo nomine infensior Christo est, sed potius innocentiæ ejus adversus populum usque patrocinatur: saltem supplicia extrema eum mereri constanter negat. Illi, quia hâc non successerat, aliò confugientes, doctrinam ejus incusant, quâ populum perturbet: sententias scilicet â receptis dissonas,& tumultuum seminibus gravidas, passim ad Galilææ usque extrema ferens. Audito Galilææ nomine, intellectoque simul,Christum ex illâ ditione oriundum esse, ad Herodem eum mittit Præses, declinans omnimodè supplicium, quod de ipsius sententiâ, furor sacerdotum & populi, homini innocenti illatum iret. Herodes conspectu viri, famâ jamdudum sibi cogniti lætus, multa illum rogitat, simul miraculum aliquod ab illo elicere desiderat, solitâ humano ingenio, Principum inprimis, curiositate in res novas. Sed Christus nec responso interrogata Regis, multo minùs facto aliquo miraculoso dignatur ejus cupidinem. Nempe prostituere nolebat Dominus miracula,ubi extorta metu, vel alienæ curiositatis imperio, nulli honoris divini usui, data viderentur. Interim Sacerdotes huc Christum persecuti, Herodem pariter, illis affectati Regni calumniis, in ipsum stimulare annituntur. Sed ille Rex fastu transmisit accusationes, & hominem non assequi tantùm alta, sed sperare etiam visum impotem, risu potius, quàm irâ dignum judicavit. Latentis scilicet Divinitatis non intelligens, aut

contemptor. Itaque multis ludibriis exagitatum, & denique veste splendidâ, deridiculi causâ, indutum remittit ad Pilatum. Mitior aliquantò sacerdotibus, quorum accuratissimis precibus moveri se non passus est, ut in Christo ultra contemptum & illusionem sæviret. Interim occasione ista Præses Pilatus cum Herode Rege amicitiam, offensis aliquibus interlitam, redintegrat, parario, ut apparet, mutuo honore, quod Pilatus Herodi cognitionem super Christo, in ejus ditione educato indulsisset, hic vicissim Pilato Jurisdictionem nolens præripere, rem illi remisisset integram. Quicquid sit, gloriæ Christi hoc militat, quòd duo summi in Judæâ viri, cum cæterà adhuc discordes essent, in eo consentiunt, non ea meruisse Christum, quæ furor Judæorum ipsi intentabat. In necem equidem Christi minimè illi ita, ut vulgò creditur, conspirarunt. Nisi verba Pilati nos fallunt, qui apud Evangelistam Luc. 23. vers. 14. 15. ita Judæos alloquitur: *Adduxistis mihi hominem hunc tanquam avertentem populum. Sed ecce ego coram vobis illum judicavi, & nullum in eo criminum istorum reperi, quorum illum accusatis. Sed nec Herodes. Misi enim vos ad illum, & ecce nihil morte dignum factum est illi.* q. d. *Mihi homo hic insons videtur & minimè dignus eâ pœnâ, quam vos postulatis. Sed proprio judicio in re tam gravi non fisus, misi eum, vobis comitantibus, ad Herodem, qui, Rex, & eorundem vobiscum sacrorum, legumque adeò vestrarum benè gnarus, istum Regni, ut vos creditis, Judaici affectatorem,*

legumq;

legumq́ vestrarum subversorem, non omisisset calculo suo ad capitale supplicium addicere. Sed is ludibrio tantùm habitum ad me remisit, satis indicans, haud quaquam dignum à se judicatum, qui capitis acquiratur. Quare & nos insistamus Herodis vestigiis. Mitiore aliquâ pœnâ homini irrogatâ, extrema supplicia remittamus. Usque adeò igitur Pilatus hîc cum Herode in Christi interitum non conspirat, ut potiùs ille, hujus exemplo, CHRISTUM à morte incolumem cupiat servare. Quod submonere hîc volui, non, ut hominibus nullâ adeo bonâ notâ insignibus ullo modo patrociner, sed quod nemini, etiam improbo, fieri velim injuriam. Satis deformes illi sunt, cum veris coloribus depinguntur, ut non opus sit addere falsos.

CAPUT VII.

Christus ad Pilatum reductus & ibi necquicquam pro innocente pronunciatus, tandem deditur ad supplicium.

Judicat insontem, tentatq́ exsolvere Christum
Pilatus, tandem vincitur ille tamen;
Datq́ reum, manibus lotis, quasi crimine liber,
Sed nunquam sese polluit ille magis.

AB Herode igitur ad Pilatum Christus remittitur, contemptu quidem, at haudquaquam mortis supplicio dignus illi Regi visus. Eò diligentius Præses quoque huc incubuit, ut leviore

pœnâ

pœnâ castigatum dimitteret. Sed quò magis ad mitia Præsidis inclinabat animus, eò intentius succlamabant Judæi, nimiam ejus placiditatem & lentitudinem incusantes. Ille, cum moris esset, circa Paschatis solennia uni eorum, quos ad capitale supplicium Judicis sententia damnasset, ad Judæorum postulatum pœnam remittere; hac saltem ratione Christum liberum fore judicabat. Sed illi, cum præter Christum alius esset, qui capitis postularetur, huic potius immunitatem à pœnâ, quam Christo impetrare maluêre. Is Barrabas erat, homo multiplicis flagitii reus. Nam & latrocinio infamis & tumultûs excitati, nec non cædis commissæ manifestus erat. Et hunc tamen maleficum præhabent Christo. Perduellis nempè & homicida dignior ipsis vitâ videtur; quàm qui adeò multis sanitatem & vitam reddiderat, vitamq; insuper æternam dare potis erat, SERVATOR, DEUM immortalem! quò non delabitur cæcutiens Tyrannis! Ubi inprimis sacri furoris æstu incanduit. Omnia ferè scelera impunè abire mavult, quam hominem diversa sentientem, etsi cæterà sanctum & inculpabilem, imò clarissima in se Divinæ Virtutis testimonia habentem, dimitti. Quærit iterum iterumque Præses, num non Jesum liberatum mallent, quàm latronem, ratus scilicet, effuso primo impetu, meliorem mentem rediisse accusatoribus. At illi morâ ipsâ & cunctatione Pilati efferantur magis ac magis; & tantò instantius urgent Christi deditionem

ad

âd necem. Pilatus usque tergiversatur, & ut aliquid daret urgenti populo, in flagellationem denique Christi consentit: quasi veri ex reo extorquendi causâ, reverà autem, ut ad miserationem accusatores commoveret. Ideò & hominem indignis modis acceptum, & porrò per petulantiam militum coronâ spineâ evinctum educit, miseriamque ejus, & ab ambitiosis votis, quæ ei objicerentur valdè abludentem statum, miserans, an & illudens, demonstrat populo. Sed malè errabat, qui ex suo sensu animos Judæorum metiebatur. Non satiarunt istorum immanitatem flagella. Quiescere ita recusabat, quamdiu superstes cerneretur Christus. Cum Majestatis Romanæ obtentu non satis premere eum viderentur, âd legem suam refugiunt, quæ falsos prophetas morti addicit. Hunc verò summè talem esse perhibent, ut qui filium DEI se fingat. Novum iterum arietem admotum sibi sentiebat Pilatus: Illinc legis obtentum nomen reverebatur, qui jurium custodiam Judæis ex lege muneris sui debebat: hinc filii DEI titulus perstringebat hominem, non ignorantem mira multa, quæ â Christo perpetrata celebrabat publica fama. Ideò locum indicari vult sibi; ubi natus esset Jesus? At ille jam in silentium obstinatus, nihil respondet homini, qui flagellari innocentem jusserat, & quem cessurum denique noverat malè obstinati populi insaniæ. Posteà tamen, cum potentiam suam nimis craparet Pilatus, aptâ reprehensione illum modestiæ admonet:

net: *Cœlitus esse*, indicans, *quicquid in ipsum hactenùs liceret Pilato. Sed id notius Judæis esse quàm Pilato, qui quæ de Messia scripta sint, ignoret. Adeoq; nec ipsum quidem à culpâ immunem esse, qui tantùm gratificetur injusta petenti populo: Sed majora commeritos, qui propiùs cognitum Christum ignaro rerum istarum Judici tradidissent, & adeò obstinatè accusarent.* Placuit Pilato æquum Christi judicium, & tantò studiosiùs liberum pronunciare nitebatur. Sed Judæi ad extrema jam omnia delapsi ultimum fulmen vibrant; Fidem Cæsari debitam; quam suspectam redditurus sit Pilatus, si hominem Cæsareæ (ita blasphemabant furibundi) potestati adversum dimitteret. Non poterat efficaciore machinâ tangi animus Pilati. Quippe is suspicacem Tiberii animum, & in iis, quæ sceptrum tangerent, omnia, etiam tuta timentem sciens, non sine causâ metuebat, ne ille sinisteriùs acciperet lenitatem Præsidis, qui homini Regium nomen usurpanti, invito & intentè adeò contranitente Judaico Senatu populoque, pepercisset. Itaque anxius, hinc accusati innocentiâ, hinc accusatorum jam in minas erumpentium pertinaciâ, in diversa trahebatur. Accedebat domesticus ab Uxore scrupulus, quæ triste somnium obtendens, maritum rogabat, ne quicquam durius in justum hunc Christum statueret. Adhuc ergo persvadere accusatoribus nititur, ut per ipsos mitiùs sibi cum Christo agere liceat. Sed nulla apud insanientes auris patebat æqua svadentibus, & contrà ita clamore & tumultum propè

ſpirante fremitu populi pulſabatur Præſidis animus, ut denique urgentibus & extrema omnia conantibus velut victus cederet. Antè tamen innocentiam Chriſti, tum voce iterum, tum manuum lotione conteſtatus: *Ipſi viderent, qui iſtum ſangvinem invito ſibi quaſi extorquerent, ſe aliò, quantum potuerit, niſum, præſtare hanc culpam nolle.* Illis mox, *quicquid hoc eſſet in ſe & liberos ſuos expetere ſe velle*, clamantibus, tandem deditur Chriſtus, & poſt diram flagellationem, Crucis addicitur ſupplicio: tanquam reus ſcilicet ſeditionis, qui legitimarum poteſtatum ſummè reverens ſemper & cultor, & aſſertor, omni vitâ ſuâ nihil aliud magis, quàm incomparabilem ſanctimoniam modeſtiam, & pacem ſpiraverat, omnis expers peccati, totique illi terræ nullâ injuriâ, ſed aſsiduis beneficiis cognitus. Verùm homines iſti ſummâ malignitate excæcati non vident, ſe, Chriſtum ſeditionis accuſando, atrociſſimæ in DEUM perduellionis eſſe reos.

In ſpineam Chriſti Coronam.

Tempora ſpinosâ cingit tibi, Chriſte, Coronâ
Miles, uti regnum rideat ille tuum.
Dura caput lacerat ſentis: micat utiq; ſangvis,
Spina ſalutiferas ah dedit iſta roſas (

Chriſti Göttliches Haupt mit Dornen wird gekrönt/
Und hiemit auch zugleich ſein heilig Reich verhönt.)
Die Spitzen dringen durch/ die Blutes Bäche fließen/
Ach Edle Roſen hier aus dürrem Dorn entſprieſſen/

CAPUT VIII.

Christus condemnatus inter diras contumelias educitur ad locum supplicii.

Ducitur haud uno spectandus vulnere Christus
Urbe, salutifera bajulus ipse Crucis;
Mox datur hæc alii. Sequior flet sexus euntem.
O fleret fatum gens ita tota suum!

HActenùs Christus sub manu versatus est Romani Præsidis, viri innocentiæ diu satis faventis, atque in extrema ista haudquaquam consensuri, nisi obstinatâ populi, penè tumultuantis, importunitate fuisset abreptus. Eò culpabilis, quod isto Judæorum furentium æstu clavum sibi judicii eripi passus est, quem aliter & longè melius regere poterat, si autoritatis suæ retinentior, & in bono firmior fuisset. Jam à Judice etsi invitò, iniquò tamen, damnatus, in sceleratissimas militum manus devenit Christus. Hîc quicquid comminisci petulantia, quicquid audere crudelitas potest; in illum admittitur. Inprimis Regio ejus nomini honorique illuditur acerbissimè. Nam super diadema, quod è spinis consertum jam ante capiti ejus imponi passus est Præses, Chlamis murice tincta corpori, manui verò arundo, quasi sceptri loco, indita est, Subinde & in genua procidebatur, velut coram Rege, mox sputa & verbe-

ra confertim ingerebantur. Tandem depositis Regalis larvæ nugamentis, propria ei vestis redditur: & illicò Crux quoque imponitur. Quæ crudelitas! Illi tenero corpori, illi adeo per trivia & tot dicasteria noctu diuque raptato, tot flagris livido, tot vulneribus cruento, tot concussionibus lasso, & jam pedes vix trahenti infelix lignum gestandum injicitur. Suum sibi patibulum ferre cogitur Christus: verus archetypus veteris Isaaci; qui ligna humeris suis bajulavit, quibus immolandus erat. Verùm deficiebat forsan, aut hostibus suis non satis citato gradu ad mortem sub onere isto procedere videbatur Dominus. Itaque arripiunt Cyreneum quendam, & Christo in gestanda Cruce succedaneum faciunt. Quia scilicet is Christo ante addictior esse visus erat; ideò Judæorum, qui eum noverant, impulsu jubetur etiam nunc comitari Magistrum suum, & succollare stipiti, qui Ducis sui suspendio destinatus esset. Cingebant euntem tùm milites, tùm ex Judæis plurimi, alii gemiscentes, alii lætantes, alii & illudentes, omnes re novâ & insolitâ arrecti. Sed & mulieres sequebantur, illachrymantes tam miserabili calamitati ejus viri, qui plurimis & inusitatis beneficiis summum amorem & admirationem sui meruerat. Verùm eas sua potiùs mala deplorare jubebat Dominus. *Fore enim tempus, ubi sterilitatem optabilem redditura sint mala Urbi incubantia: adeoq; liberos suscepisse, quod nunc loco felicitatis haberetur, inter maxi-*

mas calamitates, ſit futurum. Ubi deniq; multi prægrandium miſeriarum impatientiâ, montibus obrui optaturi ſint. Etenim ſi DEus innocenti, & nullius peccati conſciæ ſoboli ſuæ tot mala, humani generis causâ, inferri paſſus ſit, quantò, ait, majoribus perſequetur eos ſuppliciis, qui omnem honorem merenti & nullius labe criminis attacto, adeò immaniter & indignis modis exitium ſtruant. Nempe Urbi non impunè futurum tantum ſcelus aſſerit Chriſtus: prænuncius calamitatum, quas benè monentibus refractaria, ſuæque ſalutis inimica, & ſic in exitium ſuum ruens terra, ſuo ſibi jumento accerſat. Scire hæc poterat, ſed credere nolebat, ſe hic ſuum & Orbis totius Servatorem occidere.

CAPUT IX.

Chriſtus affigitur Cruci inter duos latrones, & elogio ornatur præter mentem tribuentium honorifico.

Pendet ab infami damnatus ſtipite Chriſtus,
Affixusq; latus cingit utrumq; latro.
Alter ridet Herum: pro Rege amplectitur alter,
Fitq; comes Regni, qui crucis ante fuit.

JAm eò deventum eſt, ubi Crucis infami ligno Sanctisſimus mortalium Chriſtus affigi debebat. Deponitur humi auguſtum illud divinitatis habitaculum, beneficæ illæ manus, pedes illi, quibus ſuppli-

supplicem se sternere orbis debuit, clavis ferreis transverberantur, & ita confixus in altum summo & cruciatu & opprobrio Dominus gloriæ attollitur. Antequam tamen attolleretur, potu eum reficiendum putavêre sceleris patratores. Sed quo potu? aceto, aut si vino, adeò id acidum erat, ut ab aceto non differret. Et ei tanta amarities interfusa erat, ut merum fel videretur resipere. Respuit Servator tam ferale beneficium, & sitire maluit, quàm adeò horribilem liquorem haurire. Ita sine omni solatio pendebat in Cruce Christus. Quocunque verteret oculos, omnia infesta videbat sibi. Lateri utrique ad augendum animi dolorem & probrum accesserant duo latrones, inter quos medius pendebat, quasi maximus maleficorum visus, & ipso suspendii loco notabilis. Medius enim locus sceleratorum primario dari solebat. Ita inter flagitiosos omnium flagitiosissimus habebatur ille, qui nullius unquam peccati affinis, sed nunc alienorum scelerum bajulus erat, quæ ut victima expiabat. Ubi demiserat Christus oculos, alios suo malo lætantes videbat, alios circa vestimenta certantes. Sed cæteras exuvias facilè isti inter se distribuerant, super tunicâ, prout dudum prædictum erat, disceptabatur, quæ cum lacerari aut dissui non debere videretur, sorte demum uni cessit integra. Capiti imminebat titulus verus equidem & Christo planè debitus, sed per ludibrium tamen cruci pro elogio criminis affixus. Non enim nisi in dedecus inscri-

ptione ejusmodi honorari voluit Pilatus eum, quem ſuſpendi juſſerat: oſtentans ſimul ſic, opinor, potentiam Romanam & ſuam, cui in Regem tantum ſuerit poteſtatis: fortè etiam ægrè facere cupiens Judæis, quorum Rex in cruce ſuſpenſus videatur legaturque. Ac quò res latiùs diſpaleſceret, tribus primariis lingvis exprimi eum titulum curavit. Ita is à nemine non intelligebatur, cum vix ulli adeſſent, qui aut Latinas, aut Græcas, aut Hebræas literas neſcirent. Evulgari ita debuit crimen, ob quod mortem ſubiiſſet Chriſtus. Sed profectò gloriæ ceſſit, quicquid in ignominiam ejus adverſarii molirentur. Et hæc inſcriptio non ſine nutu Divino facta eſt: DEO veritatem ſub ipſis etiam ludibriis hominum occultante. Nam paulò pòſt magnificis & illuſtribus modis oſtendit, eſſe reverà Chriſtum, qui esſe diceretur, Regem ſcilicet Judæorum, vindicem ſui & ſuorum, Urbis deniqùe ipſius, quæ tanta peccasſet, deſtructorem. Sed & regnum ejus ultra Judæam longè exporrigi mox monſtravit, cum nomen ipſius, primariis totius orbis, iisque adeò præcipuè celebrari voluit lingvis, quibus infamis, ut videbatur, reverà autem maximi honoris index titulus erat deſcriptus,

In vulnera Chriſti.

Dira dat in tenero tibi corpore vulnera miles,
Sanctaq; purpureo membra cruore rubent.
Ingemo vulneribus, tamen & data vulnera lætor,
Noſtra tuo manat vulnere, Chriſte, Salus.

CAPUT

CAPUT X.

Christi extremæ voces & mors.

Lassatus variè Christus, praduraq; passus
Fata, suum miro finit agona modo.
Terra pavet, natura tremit, miratur & æther,
Naturæ Dominum sic potuisse mori.

DEfervescit plerumque inter supplicia crudelitas,& ubi se ultione ira explevit,solet sequi commiseratio. Hîc nescio quomodo nullo Christi cruciatu mollitur hostium ejus durities. Insultant inter extrema versanti, & summas, quas innoxio intulerant, injurias illusionibus exasperant. *Alios servavit*, inquiunt, *nunc seipsum servet, si potest. De Dei erga se favore adeò magnificè hic semper sensit & locutus est, age nunc ejus ostendendi locus est, eripiat, quem tantoperè is dilexerit, quem pro filio habuerit. Quam bellus iste Rex Israelis est, qui in cruce pendet, nec inde se eximere potest! Descendat age, si valet, tum fidem dictorum suorum apud nos reperiet.* Ejusmodi sarcasmis milites, multi ê populo & primoribus etiam sacerdotum, impetebant Christum, animum ejus altissimè sauciantes, postquam scilicet corpori plus tormentorum addi non poterat. At is num increpat insultantes? Num, quod impunè jam & jure maximo poterat, exprobrat illis vel injustitiam vel immanitatem? Minimè, imò silentio omnes contumelias tramittit, acsi non intellexisset. Quod amplius

plius eſt, deprecatur pro illis Patrem ſuum, *ut remittere ipſis hanc culpam velit, quia etſi facere aliter debuerint, hæc tamen faciant ignorantes. Ideò ſe ſcilicet ab illis ita indignè exceptum, quia inconſultus devios ſacerdotes Zelus, & inde odium, reliquos furibundorum ſacerdotum reverentia & ſua vitia ita occæcaverint, ut & miraculorum & doctrinæ omnis vis, aut non ſentientes, aut perperam interpretantes, ſine ullo certè bono effectu, tranſierit. Hincq; adeò, quem pro vero magiſtro non agnoverint, ut falſitatum autorem perſecutos, haud ſine latâ quidem culpâ, ſed quæ ſpem veniæ tamen apud propitium judicem non prorſus excesſerit.* Hæc deprecantis vox *prima* omnium fuit, quam in cruce CHRISTUS emiſit. Inde ſcilicet orditur, quod homini omnium difficillimum eſt, ut hoſti nimirùm ſuo ignoſcat; nec ignoſcat tantum, ſed illi æternùm benè eſſe velit. Altiùs certè humana manſvetudo procedere non poteſt, quàm ut malum bono penſet, & beneficium injuriæ reponat. *Alteram vocem* proximorum Amor elicuit. Videbat ſtantem ſub cruce Matrem, videbat mœrore & lachrymis exhauſtam, videbat caritate filii, & caſuum ejus atrocitate ad extrema impulſam: ita ut nec ſummis illius cruciatibus, nec ſuo vel diſcrimine vel probro à Cruce ſe abigi pateretur. Non pudebat illam, peperiſſe, quem ingrati mortales ſuſpendio dignum deputaſſent: non refugiebat ſangvinem ſuum è filii vulneribus meantem aſpicere; non verebatur publicè & in conſpectu hoſtium pesſimè factum teſtari, quod magni

magni, sed iniquitatis caligine cæci sacerdotes, quod efferatus populus, quod Romani milites justissimè factum clamarent. Admirabilem hanc & pietatem, & animi magnitudinem in sanctâ Matre suâ conspicatus Dominus, curâ, quà potest in extremis constitutus, eandem prosequitur. Monstrat illi Discipulum, quem ipse tenerrimè amabat, quemque, mutuâ in Dominum caritate, Matri ejus omnia filialis obsequii officia præstiturum sciebat. Huic igitur uni commendat Mulierem, Matris habendam loco. *Tertia vox* Paradisi spem socio suppliciorum Latroni facit. Ille homo, propter flagitia sua in Crucem actus, ob quæ corpore patiebatur, ea animo jam non mediocriter dolebat. Nam & jure se pati supplicium fatebatur, & Sodalem suum inter maximos cruciatus, inter ipsa ostia lethi ferocem, Christoque juxtà cum cæteris illudentem castigat, Dominique tacentis causam agit, nihil improbi eum fassus patrasse. Mox & fidem suam exserit, quam de CHRISTO in Cruce pendente, & jamjam morituro habebat: *non tali nempè fine, quo hostes ejus putarent, terminandam vel vitam vel gloriam ejus. Fore eum morti suæ superstitem, & potiturum denique regno, quod sibi aliisque semper promiserit: ac tandem gloriosè triumphaturum, qui nunc hostibus suis videatur succumbere.* Simul rerum magnarum, quas animo ejus divinitùs missa fidei lux præfigurabat, desiderio tactus, petit à Domino,

no, ut memor miſeri latronis ſit, ubi Regnum ſuum adierit. Admirandæ hominis fidei inexſpectatum datur ſolatium. Ille à CHRISTO Regnum aliquando ſuum poſſeſſuro rationem ſui haberi petit; CHRISTUS eo jam mox die ſecum in paradiſo futurum aſſeveranter affirmat. Non longè projicit ſpes ejus: propinqua fidei præmia illi pollicetur. O quod novum ſidus hîc latroni inter exquiſitisſima tormenta præter opinionem omnium affulget! quæ felicitas miſerrimo mortali ſubitò illuceſcit? Quis crediſſet, ejusmodi Cruciarium, DEO, ut videbatur, hominibusque inviſum, de Cruce in Paradiſum, de ſummo probro in æternam gloriam, de vehementisſimis cruciatibus in gaudia iturum nunquam terminanda? Sed quis crediſſet quoque, talem hominem, illi viro, quem anteà neglexerat, nunc ſimul ſecum de Cruce pendenti, ab aliis omnibus irriſo, tot vulneribus ſaucio, jam animam mox exſpiraturo, tantâ fide adhæſurum? Magna DEI gratia, inuſitatam & divino lumine clarè ſplendentem latronis virtutem eô remunerata eſt præmio, quod iis ſæpe non contingit, qui vitam latrone longè meliorem egêre. Extrema pietas obliteravit omnem anteactæ vitæ turpitudinem: magno clementiæ erga peccatores divinæ indicio, magno & cæteris mortalibus bonæ ſpei autoramento, ut cui finis boni latronis iſtius contigerit, ei & præmium ejus non negatum iri credant. Sed pesſimè falluntur,

quos

quos exemplum hominis istius de clementiâ DEI stultè securos reddit. Facile est vitâ latroni huic, non item morte similem esse. Nempè illam placita & arridens hominibus improbitas, hanc ingens nec cuivis data aut dari solita fides nobilitat. Hæc sanè tanta est, ut optimi & omni vitâ innocentes viri sub extremum vitæ vix optare sibi possint meliorem: sperare equidem mali vix debent, & rari possunt, quia paucis contingit. Illi igitur, qui in improbitate suâ pertinaces, fiduciâ tali pœnitentiam differunt, rarâ & extraordinariâ pariter Dei gratiâ egent, aut sua culpâ extremè sibi noxium experientur latronem, & fiet scilicet, quod quidam veterum dixit, ut à mortuo Latrone animas occidi sentiant, cum vivus corpora tantùm occiderit. *Quarta vox* dolorum acerbitate, tum sine dubio opprobriorum & insultationum gravitate expressa est Christo. *DEUS meus, DEUS meus*, clamat Salvator, *quare me dereliquisti!* Verbis Davidis DEUM alloquitur: ita humiliter, ita demissè, ut hostes Christi in calumniam hodieque verba rapiant. Sed quid mirum, dixisse id Christum, quod verissimum erat. Sanè dereliquerat eum DEUS, sed ad tempus, quia ita res requirebat. Etiam divinitas, quæ in CHRISTO antehac tot se miraculis exseruerat, tùm delitescebat. Quæ si se exserere voluisset, poterat sanè & Herodem & Pilatum & Sacerdotes populumque ipsum insigniter percellere, ne durarent in necem ejus. Etiam illusoribus istis,

pendenti jam adeò crudeliter inſultantibùs, miro aliquo opere os occludere valuiſſet. Et hoc inprimis, cum, ut fieret, gloriæ divinæ intereſſe videretur, non fieri, haud immeritò homo CHRISTUS mirabatur: atque ideò præcipuè in vocem adeò lamentabilem erumpit. Quæ ſanè faſtigium quodammodo pasſionibus ejus impoſitum teſtatur: neque enim ulteriùs procedere humana miſeria poteſt; quàm ſi à DEO quodammodo deſeratur: & reâpſe ſe ſentiat deſertam. Vide homo, quid tui causâ experiri unigenam filium ſuum voluerit DEUS. Deſerit ipſum, ut te ſuſcipiat; ad imum miſeriæ gradum detrudi eum patitur, ut te ad felicitatem evehat: omni divino humanoque auxilio exuit, ut tibi opituletur. *Quintam vocem* ſitis CHRISTO excutit: ita rem omnem hîc dirigente DEO, ut quæ oracula de CHRISTI pasſionibus prædixerant, nunc implerentur. Jam autem olim vaticinatus erat David, fore, ut ſitienti acetum præberetur. Quod & præbitum eſt, reficiendis ſcilicet viribus, quæ tantis torminibus, tantoque ſangvinis fluxu elanguerant. Crudele & hoc beneficium eſt, cum talis liquor CHRISTO porrigitur, quô vitalis ſpiritus erigebatur in longius tormentum, & ut diutiùs mori ſe crucifixus ſentiret. Sed aliter res cecidit, quàm creditum erat. Non enim diu poſt guſtatum acetum Dominus ſuperfuit. Imo ſimul ac ſumpſerat hunc liquorem, finem ſuum adeſſe, voce iterum,

rum, quæ *Sexta est*, testatur. *Consummatum est*, inquit. Quasi diceret : *Jam peractum est negotium. Jam decursum hoc curriculum. Quicquid Divina in me providenntia decrevit, quicquid vatum prænunciarunt oracula, quicquid improbitati in me licuit, quicquid deniquè humana salus à me requisivit, id omne aut impletum, aut in eo jam est, ut impleatur. Nihil enim jam restat, quàm ut abeam de statione, in qua pater me posuit, quàm ut vitæ miserrimæ beatam coronidem imponam.* Nec multò post collecto in extremam intentamq; vocem anhelitu, *Spiritum meum*, clamat, *commendo pater in manus tuas.* Sanctissimæ animæ thesaurum deponit in tutelam patris, qui eam dederat. Illi DEO, cui invisum esse Christum insaniens populus, & improborum sacerdotum chorus cum pessimo Pontifice suo judicaverat, committit en spiritum suum CHRISTUS : certus nempè de gratiâ ejus, tametsi alii contrà censerent, tametsi etiam ipse DEUS quodammodo pro derelicto habuisse illum videretur. Et cum hâc voce emisit Dominus vitæ spiritum : inusitatâ felicitate, quod sub extremum hoc vitæ punctistitium, tum vocis spiracula tam piæ, & luculentam adeò erga DEUM fiduciam spiranti, adeò deniqûe altè elatæ, quò à pluribus audiri posset, exclamationi suffecêre ; tum inprimis, quod eo momento, quo tradere se diceret animam, reipsâ tradidit : planè quasi in manu scilicet suâ habens depositum, quod in divinam Patris manum transferebat. Et nempè tam bellè Filio cum Patre convene-

venerat, ut clamanti illi hic protenus gratificaretur, nec minus paratus iste esset suscipere spiritum, quàm ille emittere. Cæterum non exiit grandis illa anima, quin simul universa rerum natura concuteretur. Ruptum est templi velum, cum templum suum magnus ille CHRISTI spiritus deserit. Contremuit terra, cum fundator terræ exspiraret. Petræ dissiliunt, quasi duritiem saxeâ majorem humanis exprobrantes pectoribus, quæ nec viventis Domini vocibus patuissent; & tot gravissimas acerbitates aut innocenti intulissent, aut jussissent inferri, aut denique eas ferenti non ingemuissent. Sepulchra mortuorum aperiuntur, ut appareret, mori mortis Dominum, & victam mortem, etiam tum, cùm vicisse illa crederetur. Jam & Centurio & milites, qui supplicium CHRISTI administraverant, inhorrescunt, & eum non innocentem tantùm, sed & hominè grandiorem, filiumque adeò DEI esse fatentur. Ita facit miracula etiam moriens CHRISTUS: Et exspirantem venerantur, qui viventem contempserant.

In

In Sepulchrum CHRISTI.

DIves Arimathiâ, Joſephe, accedis ab Urbe,
Condis & in propria nobile corpus humo.
Tu lætare, tuo Dominum cubuiſſe ſepulchro,
Sed magis, hunc tumulo ſe revocaſſe tuo.
Is ſurrexit enim, modicam, Joſephe, quietem
Pendere perpetuâ qui tibi ſede poteſt.

CHRISTUM ungere fruſtrà parant mulieres.

FIdus amor matrum tranſcendit fata, ſacrumq́;
Ungere Panchæo corpus honore cupit.
Dîus at humanum prævenit Spiritus unguen,
Hoſpitiumq́; prius Maximus hoſpes adit.

Vestra tamen, Matres, quanquam labor irritus iste
Vester erat, Pietas jure perennis erit.
Nec pereunt Vobis hæc balsama. Plurima fama
Hinc fragrat, & laudis non abolendus odor.
Porrò sed in cælo Servator balsama pensat,
Nectare dum vero vos vetat ille mori.

Liceat mihi ex pientissimo Theologo adjicere pulcherrimam de Christo Vulnerato considerationem.

CHRISTUS VULNERATUS, PELLICANUS AMORIS.

1. Assumit Christus per os Prophetæ David nomen & similitudinem *Pellicani. Similis factus sum Pellicano solitudinis.* Quemadmodum hæc volucris proprio rostro sibi pectus adaperit, ut suo sanguine vivificet & resuscitet pullos mortuos: Ita Christus servavit quinque in corpore suo canales, ut sanguine inde profluente nos, qui peccato mortui eramus, vitæ redderet. Amantissime Pellicane, feri nos, ut nos sanes, mortem excipe, ut nos vitá dones.

2. Pellicanus pullos suos non solùm suo sanguine in vitam revocat, sed etiam rostro suo exanimat. Idem secundum S. Augustinum nobiscum Christus facit. *Ego occidam & ego vivificabo.* Occidit pecca-

to, vivificat ad gratiam. *Occidit Paulum perſecutorem, & excitavit prædicatorem.* Hæc eſt vera vulnerumChriſti operatio, *occidere & vivificare.* Occidit ea, quæ ad ſenſus, & peccata inclinant, vivificat ſpiritum & gratiam afferentia.

3. Eſt ſecundum eundem *Pellicanus ſolitudinis Chriſtus, quia in ſolitudine natus, quia ſolus ſic natus, ſcilicet de Virgine. In ſolitudine paſſus, quia ſolus ſic natus, ſcilicet de Virgine.* Pendet hæc ſolitudo ab aliâ ſolitudine, quæ amoris.

Sepoſito enim omni proprio emolumento noſtram ſpectavit ſalutem. Si itaque Chriſtus eſt tibi verus *ſolitudinis pellicanus*, imitare ejus ſtudium, & te illi oſtende pellicanum tuo ſangvine delendo quicquid illum offendit, & promovendo ejus gloriam ſis quoque verus erga proximum pellicanus, eximendo eum à ſtatu peccati, & vivificando in ſtatu gratiæ.

ALIA CONSIDERATIO EJUSDEM THEOLOGI

VULNERA CHRISTI

PECCATORUM SPONGIA.

1. Sententia noſtræ mortis firmata divino decreto, & pæna æterna non aliter deleri potuit, quàm vulneribus Chriſti. Clavi illi, qui ejus carnem transfixerunt, diſcerpſerunt Chirographum damnationis, & ille ſangvis, qui ab iſtis vulneribus promanavit, extinxit Characteres mortis. *Delevit quod adverſus nos erat, Chirographum Decreti affigens illud Cruci*, & in carne per clavos convellens.

Hoc innuebat Propheta, cum dicebat, *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*, ut ſcilicet diſcerperetur *codicillus*, in quo iniquitates & peccata noſtra deſcripta erant.

3. Neque ſola peccata noſtra, ſed etiam *homo vetus*, qui eſt noſter fomes, & noſtra concupiſcentia cum Chriſto in crucem

cem venerunt. *Vetus homo noster simul crucifixus est*, sc. cum Christo, destruendo peccatum, & frænando ac dirigendo concupiscentiam nostram.

S. AMBROSII DICTUM NOTABILE.

OMnia habuimus cum Christo, & Christus est nobis omnia. Si febribus æstuas, fons est, si gravaris iniquitate, justitia est: Si indiges auxilio, virtus est, si mortem times, vita est; si tenebras fugis, Lux est; si cibum quæris, alimentum est.

dæ pul
is eſt
, [illegible] lli
que me
cit [illegible] tisſi
mun
ærem.
ad n
reſpicit,
nos co-
tis obi
mundi
de